D. GREGORIJ NYSSAE PONTIFICIS, MAGNI BASILLIJ FRATRIS, DE...

Gregorius : Nyssenus santo (santo), Daniel d'Auge

Digitized by Google

Miscellanee

D. GREGORII NYSSÆ PONTIFICIS,

Magni Baſilij fratris, De immortalitate animæ cum ſua ſorore Macrina Dialogus, nunquam antehac neque Græcè neque Latinè excuſus.

Daniele Augentio interprete.

Ad Præſtantiſſ. & ſapientiſſ. virum, D. Franciſcum Oliuarium, ſummum Galliarum Cancellarium.

Num [redacted]

Num°. CCLXXIII.

PARISIIS,

Apud Aegidium Gorbinum, ad inſigne Spei, prope collegium Cameracenſe.

1557.

CVM PRIVILEGIO REGIS.

33.

Digitized by Google

Vixit circa annũ Dñi 347.

Sacra permiſit facultas Pariſienſis, nec impedit, quo minùs hic codex prælo committatur. Datum in Comitiis Sorbonę, Cal. Iul. Anno 1556.

PRÆSTANTISSIMO HEroi, D. Franciſco Oliuario, ſummo Galliarum Cãcellario, Daniel Augentius, S. P. D.

COGITANTI *mihi ſæpenumero, Heros ſapientiſſime, quænam ſit cauſa, quòd religio Chriſtiana, quæ à veteris Teſtamenti Patribus & Prophetis, imò verò à Deo ipſo prædicta, à Chriſto Deo & Dei filio tradita, ab Apoſtolis veluti quibuſdam legatis toti orbi annunciata, ac miraculis confirmata, innumerabilium Martyrum, id eſt, veritatis & fidei quæ in Chriſto Ieſu eſt teſtiũ ſanguine conſecrata, tot ſanctiſſimis Cõciliorum decretis fulta, tot non minùs doctorum, quàm piorũ virorum*

Digitized by Google

ſcriptis præclaris illuſtrata, tot gentium & populorum perpetuo multis iam ſæculis conſenſu corroborata, tot hodie ſeditionibus & ſectis exagitetur, vt vbique ferè ſit miſerrima facies, cùm iam multi ab vnitate Eccleſiæ deſciuerint, permulti de defectione cogitent, nõnulli præcipites ferãtur ad impietatem, pauci admodùm víxque adeò contineantur in officio: duo potiſſimùm veniunt in mentem, in quæ tota huius rei culpa meritò poſſit conferri, nempe & effrænati populi libertas carnis, ad quam veluti maximè expetendam fertur toto impetu, & Eccleſiaſtica olim lapſa diſciplina, quæ cùm in ſe nõ ſit ſatis ſeuera, non poteſt vt vellet & deberet, aliis imperare. Nam ſectarum quidem auctores, qui filiis lucis ſunt longè prudentiores, ſi prudentia eſt appellanda verſipellis calliditas, qua alios in exitium pertrahũt, hac potiſſimùm ratione vulgus in ſuas partes pelliciunt, quòd mellitam quandam, vt ita dicam, libertatis offam eis oſtentent, vt eos hoc pacto ineſcatos conficiãt. Quid

enim eſt prima ſpecie blandius, quid iucũdius, ac delectationi magis proximum, ſi vulgi ſenſum ſpectes, quàm non exigere, vt ieiunia à populo obſeruentur, quàm cuilibet permittere, vt quando, quantum, & quicquid velit, poßit impunè comeſſe, quàm dicere non eſſe bona opera ad ſalutem neceſſaria, quàm hoc habere perſuaſum pro quantumuis graui crimine nullam nec in terris, nec poſt deceſſum ſubeũdam eſſe expiationem? ſatis enim eſſe ſi quãtumuis ſceleſtus vel tantùm ingemuerit: & multa eiuſmodi alia, ne omnia, quod non eſt huius temporis & inſtituti, perſequar. Nonnulli verò quorum ſunt partes errantem populum reuocare, lupos procul arcere, gregem verbo & exemplo paſcere, quàm pulchrè ſuo fungantur officio ipſi viderint. Hoc quidẽ certè cõſtat nihil eſſe hodie æquè neceſſarium, atque ſi paſtores ſe ita gerant, vt populi ſalutem eis maximè eſſe curæ omnes intelligãt, eamq; auctoritatem virtute & meritis ſibi comparent, vt dum ipſi ſibi minimè indulgent, eorũ

ſeueritatem commiſſi greges non ægreferant. Quod quidem ſi fiat, habeo perſuaſiſſimũ fore vt impia dogmata quæ à recentibus hæreſiarchis ad euertendam, quod vnũ ſibi proponũt, hierarchiam ſunt introducta, non modò non admittantur, ſed vno omnium ore damnentur, & in orci tenebras amandentur. Et certè cùm præter ſacrarum literarum auctoritatẽ, quibus nullus Chriſtianus repugnauerit, eorumq́ qui ab initio naſcentis Eccleſiæ ad hæc vſque tempora ſcripſerunt, interpretationem, & Oecumenicorum omnium Conciliorum conſtitutionem, perpetuum totius orbis Chriſtiani cõſenſum aduersùs eos facere, à nobis autem ſtare luce clariùs oſtenderimus, nõ eſt timendum ne Chriſtus qui in crucẽ ſublatus omnes ad ſe pertraxit, ſi nobis non deſimus, & ſupplices eius auxiliũ imploremus, ſuæ cauſæ deſit. Atque quàm impia quidem, cõfutatu autem facilia ſint eorum dogmata, hoc libro apertè demonſtrat D. Gregorius Nyſſenus, armis Philoſophicis, id eſt, validis

*& efficacibus rationibus aduersùs eos qui a-
nimam mortalem eſſe cenſent, ita pugnās, vt
eos ſuo, quod aiunt, gladio facilè confodiat.
Quod quidem aduersùs impios iſtos homines
vel potiùs κακοδαίμονας meo quidem iudicio hoc
tempore omnino faciendum eſt, nec iis aſſen-
tiendum qui Philoſophiam vt Chriſtiano ho-
mine penitùs indignam auerſantur & reii-
ciunt. Quibus ſatis fuerit hoc in præſentia re-
ſpondiſſe, Origenem, Baſilium, Chryſoſtomū,
Nazianzenū, cæteroſq́ Theologiæ anteſigna-
nos, in eo ſtudiorum genere ita eſſe verſatos vt
excellerēt, AEgyptumq́ ita ſpoliaſſe, vt Do-
mini tabernaculum ac templū pulcherrimè
ornarent, & impium illum Chriſtiani nomi
nis hoſtem Iulianum Apoſtatam nulla re a-
lia maiorem Chriſtianæ religioni calamitatē
afferri poſſe nō temerè cenſuiſſe, quàm ſi cum
à cæteris humanioribus diſciplinis, tū maxi-
mè à Philoſophia Chriſtiani arcerentur. Quod
cùm vt fieret, pernicioſiſſimo edicto cauiſſet,
ſui populi miſertus Chriſtus Opt. Max. ſi-*

mul cum vita fraudulentum eius conſilium profligauit. Fundamentum quidem certè nemo poteſt nec debet aliud ponere præter Ieſum Chriſtum: ſed firmiſſimo iacto fundamẽto, lapides quoque pretioſos, & cætera quæ eo non indigna ſint ſuperædificare minimè prohibemur. Cùm igitur in hoc libro legendo maximam voluptatẽ cepiſſem, dignumq́ iudicaſſem qui in Chriſtianorum manus veniret, ad eum in linguã Latinam vertendum aliquot dierum operam contuli, cogitans quàm nihil ſit homini anima pretioſius, nihilq́ ea doctrina excellentius, cuius vera laus eſt apud Ariſtotelem, qui in præfatione libri de anima inquit, δοκεῖ ϗ πρὸς ἀλήθειαν ἅπασαν ἡ γνῶσις αὐτῆς μεγάλα συμβάλλεσθαι. Et quidem certè doctrina de anima conducit ad pietatem & admirationẽ diuinæ potentiæ accendendam in animis hominum. Nam ſi, vt D. Paulus rectè vult, ex intuitu operũ naturæ, cuius Deus auctor eſt ac gubernator, uenerunt homines in Dei quãdam cognitionem, quid eſt poſt illa cæleſtia

corpora

1.Cor.3.

Greg. Nanz. Orat. 1. in Iulianum.

Rom.1.

corpora magis admirabile, quid diuinius & præclarius in rerum natura, hominis animo, qui eſt imago Dei? cùm id ſit in homine animus, quod eſt in mundo πρώτον κινοῦ, *vel ipſe Deus, ac ideò* μικρόκοσμος *ab illis appelletur homo. Prætereà in Eccleſia nequaquam carere hac doctrina poſſumus. Quare & Theologi libros de anima ſcripſere, qui adhuc extant, in quibus potentias diſcernūt, & earum officia diſtribuunt: quia ita iudicarunt, multas materias in Eccleſia non habere lucem, ſine hac qualicunque diſtinctione potentiarū animæ. Sed exorti ſunt hodie, proh dolor! nōnulli qui veriſſimam de immortalitate animæ ſententiam oppugnare conantur. Atque ij quidem ſunt qui omni penitùs religionis & pietatis nomini infeſti, nō alia ratione ſe meliùs poſſe* θεομαχεῖν *iudicauerunt, quàm ſi, quod in eis eſt, priùs diuinam ſui partem penitùs extinguerēt. Quod ſi pro certo recipiatur, quid reliquū eſt quo improborum hominum ad ſcelus omne anhelantium audacia refrenetur, & bono-*

Digitized by Google

rum qui pro pietatę et religione, pro omni denique virtute, vel maxima & grauiſſima patiuntur, fiducia & ſpes recreetur? Miſerrimũ omnium futurũ hominem ſcribit Apoſtolus,
1.Cor.15 *ſi futura reſurrectio tollatur. Meliùs autem tolli non poteſt, quàm ſi anima morti eſſe obnoxia aſſeratur: quod plurimi huius ætatis falsò ſibi perſuaſerunt. Miſeri homines! Dicto citiùs profectò aderit illa dies, in qua perpetuas ſtultitiæ ſuæ pœnas percipient, niſi dum licet reſipiſcant, & impietatis repudiato conſilio pietatem colant & exerceant. Quod fortaſſe facient perlecto hoc diuiniſſimo libello, in quo more dialogi oratio procedit, vt quæ interrogationes & reſponſiones, propoſitiones & ſolutiones, obiectionéſque, & cætera quæ ſunt dialogorum formæ propria contineat. Atqui vtinam hîc mihi adfuiſſet ea verborũ vis, quæ facundiſſimi ſcriptoris eloquentiam exprimere potuiſſet, quem oratorem fortiſſimum, & omni artiũ totiúſque Philoſophiæ cognitione inſtructum fuiſſe, vel vnicus hic li*

Digitized by Google

bellus facilè teſtari poteſt. Quod Suidam non feſellit, qui in eius vita ſic ſcriptum reliquit, πρὸς τὴν ἀδελφὴν Μακρείναν μακρόν τινα καὶ περικαλλῆ περὶ ψυχῆς συνέθηκε λόγον. Accedit his ſacræ ſcripturæ ſingularis notitia, in cuius tractatione doctus, argutus, clarus, facilis & breuis eſt. Quæ omnia ſi mihi quoque pari elegātia, copia et perſpicuitate exprimenda fuiſſent, eadem omnino mihi quoque neceſſaria fuiſſet eruditio, eadem dicendi vis, eadem tradendi perſpicuitas, qua tantus vir claruit. Quæ omnia quàm à me ſint aliena, probè noui. Interim tamen ipſe mihi temperare nō potui, quin quod è re omnium fore iudicabam, illud pro virili præſtarem, ne tantus theſaurus non ſine communi Eccleſiæ iactura diutiùs lateret. Cæterū cùm in meis vigiliis omnibus non nomen ſolùm & imago, ſed memoria quoque tuæ erga me beneuolentiæ mihi aßiduè ob animū præſens & propoſita ſit, faciēdum profectò viſum eſt pro animi mei conſcientia, proq́ eo quanti te facio, vt nomini tuo hoc quicquid eſt dica-

Digitized by Google

rem, non tam ob tua in me beneficia, magna alioqui, & (quod ego pluris facio) pleniſsima egregiæ tuæ in me voluntatis, quàm quòd excellens ingenium tuum huiuſmodi tractatione admirabiliter delectari ſolere noui. Præterea verò ex omni hominum de me benè meritorum numero, cui plùs debeam quàm tibi, Heros ſapientiſsime, prorſum habeo neminẽ, qui me iam pridem in tuam aſciueris familiam, potiſsimumq́ delegeris, cui tuos liberos, quorum educationẽ tam ſanctè procuras, inſtituendos commẽdares: quod magnum certè ego ſemper duxi, quòd placuerim tibi qui turpi ſecernis honeſtum. Sed quia incidi in mentionẽ chariſsimorũ tibi pignorum, liceat hoc mihi quæſo ſumere pro eo ſtudio quo omnia vniuerſæ familiæ tuæ & læta & glorioſiſsima exopto, vt hîc Ioannem tuum natu maiorem (ex cuius familiari ſermone ſæpe cognoui quanta & quàm certa ſpes non familiæ tuæ ſolùm, quam ampliſsimã & ſplẽdidiſsimam eſſe non ignoro, ſed etiam noſtrorum temporũ

ſita

ſita ſit in eo adoleſcēte optimo & ad omnem virtutis laudem expectatiſſimo) cohorter ad ingenium excolēdum, quod vt præcipuum in nobis eſt ſolumq́; diuinum, ſic omnia quæ ad ipſum pertinēt, & maxima & maximæ laudis exiſtimāda ſunt. Huius tibi facultatem, Ioannes, natura elargita eſt, parentis autē voluntas ea eſt, vt nihil malit, quàm te non fortunæ bonis, in quibus multum ineſt infirmitatis, ſed animi dotibus abūdare, virtutéſque eas toto animo capeſſere, quæ nobis adimi nō poſſunt, & tum tranquillam vt vitam viuamus, facilè præſtāt, tum memoriam noſtri in omne tempus omnéſque gentes diſſeminant. Vides quàm nihil eſſet tota vetuſtas, niſi lumine literarum illuſtraretur. Vides neminem propè dixerim paulò nobiliorem fuiſſe, qui ſe nobilitatem tueri ſuam poſſe crederet, niſi vera virtutis nobilitas accederet. Neque te auferat noſtrorum temporum deprauata diſciplina, quibus nobilitas literarū ſplendore obſcuriorem ſe fieri putat. Nimis enim ſtultè

Digitized by Google

quanta in ignominia verſentur, non intelligunt. At, vt ait illc,

Collecta vitia per tot ætates diu
Senec.in Octauia *In nos redundant, ſæculo premimur graui,*
Quo ſcelera regnant, ſæuit impietas furens.

Propone tibi ante oculos nobilitatem omniũ gentiũ quæ magnam gloriam ſint conſecutæ: eam imitare, ad eam te exerce, huc confer cogitationes tuas: habes parentem huius rei cauſa vigilantiſsimum: habes patruum Epiſcopũ Lumbarienſem, in quo omnia ſumma à Deo profecta ſunt, quæ religioni, præſidio nõ medio cri, atque ornamẽto vel maximo eſſe poſſunt. Noli tãtas opportunitates adoleſcẽs omittere, & tibi perſuade, ſi eo animo fueris, vt virtutẽ maximè ducas expetendã, cætera omnia fore tibi facilia. Sed hæc tu meliùs. Vt autẽ ad te redeam, Heros ſapientiſsime, cùm nullis ferè aliis facultatibus poſsim, officij ſaltem atque operæ perſeuerãtia, quoad potero, ſatiſfaciam, proq; virili mea parte enixè operã dabo, vt de officio erga te meo nunquam in iis præſertim

quæ

quæ ad diuinã virtutum tuarũ admirationẽ ſpectẽt, iure cõqueri poſsis. Accipe ergo Gregoriũ iã latinè loquentẽ, tibi, vt ſpero, nõ iniucũdũ, cæteris ad quos perueniet nõ inutilẽ futurũ: quos interim obteſtamur, ut hãc uerſionẽ meã qualiſcũque eſt boni cõſulant, et ſi interpretis eruditionẽ fortè deſiderãt, animũ ſaltẽ iuuandæ rei literariæ diligant, ac meminerint honeſtos conatus, etiã cùm malè ceſſerint, iure laudari. Scis tu, Heros ſapientiſsime, quid meæ poſtulent rationes, neque ego etiã quantũ mea cauſa uelis dubito. Ego uerò qui te nõ ex fortuna, ſed ex uirtute bonitateq́ tua pendo; idem qui ſemel eſſe cœpi, in te ſemper ero, hoc eſt, tui obſeruantiſsimus: ídque ut tibi perſuadeas, uehementer uelim.

Vale ſplendidiſsimum Galliarum lumen, & ampliſsimum totius orbis terrarum decus, iterúmque & ſæpius vale atque ſalue etiam atque etiam. Lutetiæ, in Regiis ſcholis Mignonicis, Idibus Quintil. Anno Chriſti, Dei noſtri, M. D. LVII.

Digitized by Google

AD LECTOREM.

Vana quid Aſcræi capiunt te ſomnia vatis?
Quid quoque Mæonij carmina cæca ſenis?
Nomina quid retinent vani tumefacta Platonis?
Quid retinet Latiæ gloria prima togæ?
Scilicet his aliquid poſitum eſt, quo purior, aut quo
Certior erroris nubila cuncta leues?
Corporeæ vt maſſæ oblitus, dominæque fluentis,
Vim poſſis notam ſortis habere tuæ?
In te iam tandem, Lector, deſcende, relictis
Nugis, cuncta animo ſelige digna tuo.
Si te ipſum nouiſſe cupis (quæ prima laboris
Cura tui) librum hunc volue oculis, manibus.
Hîc tibi Nyſſæi tandem fœtura recepta eſt
Pontificis, qua non altera viſa prior.
Quæ cùm plena ſitu in tenebris concluſa lateret,
Vix tandem in noſtras cœpit abire manus.
Atque hoc, quicquid id eſt, Augentius vnus habebit,
Qui tantum voluit non latuiſſe bonum.
Exceptum ingenio expreſſit, calamóque notauit,
Et lingua, qua non altera nota magis.
Fac igitur, ſtudiis vt te accedentibus auget,
Auctum animum ſtudio ſentiat eſſe tuo.
Certè erit, vt poſthac idem maiora procuret,
Et tibi det viuas vnde petiuit aquas.
Tunc dices, Animum ſcriptis qui morte redemit
Tam bene, qui poſſit noſtra per ora mori?

Digitized by Google

D. GREG. NYSSÆ PONTIFICIS, MAGNI BASILII FRAtris, *De immortalitate animæ cum ſua ſorore Macrina Dialogus.*

Daniele Augentio interprete.

CVM è vita humana ad Deũ migraſſet celeberrimus inter ſanctos Baſilius,& communem luctus occaſionẽ reliquiſſet eccleſiis; adhuc autẽ ſuperſtes eſſet ſoror & magiſtra, ego quidem ad eam feſtinabam, acceptam in fratre calamitatem cum ea cõmunicaturus:& mihi dolore confectus erat animus,vt qui tãtum damnum ferret ęgerrimè, & quærebam aliquem lacrymarum ſociũ,qui triſtitiæ par onus ſuſtineret.Poſtquàm autem alter in alterius conſpectum peruenimus, mihi quidem animi ægritudinem commouit ſubiecta oculis magiſtra. Etenim ipſa quoque infirma ęgráque tene-

Digitized by Google

batur valetudine quæ tendebat ad mortẽ. Illa autem non ſecus atque ij qui moderandorum equorum artem rectè tenent, cùm doloris impetui, vt me parumper abriperet dolorémque leniret meum, cõceſsiſſet, oratione tanquam freno aliquo me poſtea aggreſſa eſt reprimere, immodeſtum & inſolentem animum ſua oratione dirigens.
1.Theſ. Ab ea autem adducebatur illud Apoſtoli-
4. cum, Triſtitia non oportere affici de iis qui dormierunt. Vt enim ita afficiantur, iis ſolùm euenire qui ſpem non habent. Ego verò cùm mœrore cor mihi adhuc ferueret, totúſque in luctu iacerem, Quomodo, aiebã, fieri poteſt, vt hoc rectè fiat ab hominibus, cùm apud vnumquenque adeò naturali mors laboret inuidia, & tam malè audiat, vt neque qui vident morientes, facilè hoc ſpectaculum admittant, iíque ad quos mors accedit, eam quantum fieri poteſt, fugiant & auerſentur: quinetiam quæ ſeruantur leges, vltimum in maleficiis, & in ſuppliciis vltimum id decernant: quánam ratione fieri poteſt, vt è vita exceſſum nihil eſſe putemus, etiam in aliquo extraneo, non ſolùm in neceſſariis, quando viuere deſierint? Videmus autem, aiebam, omne quoque humanum

manum ſtudium eò ſpectare, vt in vita permaneamus. Propterea enim & excogitatæ nobis ſunt domus ad degendum, ne ab ambiente frigore vel calore offendantur corpora. Agricultura autẽ quid eſt aliud quàm vitæ apparatus? vitæ autem cura omnino geritur propter metum mortis. Quid verò medicina, quî fit vt in honore habeatur apud homines? An non quoniam videtur aduerſus mortem arte pugnare? Loricæ autem, clypei, ocreę, galeę, & quę ad noſtri defenſionem arma ſunt cõparata, murorúmque ambitus, portæ ferreæ, & quæ tueantur foſſæ, atque cætera huiuſmodi; propter quámnam aliam cauſam fiunt, niſi propter metum mortis? Cùm ergo ſit naturaliter mors adeò terribilis, quomodo facilè parêre poſſumus ei qui iubet, vt ſuperſtes de mortuo nulla vnquam afficiatur triſtitia? MAC. Quid autẽ, inquit magiſtra, quid tibi per ſe in morte maximè videtur moleſtum? Ad eam enim accuſandam nõ ſufficit conſuetudo eorum in quibus eſt minimum rationis. GREG. Quid verò, ego ei aiebam, an non meritò eſt dolendum, cùm videamus eum qui viuebat antea & loquebatur, repentè nec ſpirare, nec loqui, & eſſe omnino

immobilem, & omnes naturales ſenſus in eo extinctos, adeò vt nec viſus operetur, nec auditus, nec aliquid aliud ex iis quæ ſenſus apprehendit? cui ſi ignem admoueris, aut ferrum adhibueris, aut enſe corpus diſſecueris, aut etiam ſi feris obieceris, vel in tumulo condideris, ad omnia eodem modo ſe habet iacẽs mortuus. Cùm ergo in his videatur mutatio, illa autem vitæ cauſa, quæcunque ea eſſet, repentè euanuerit, quo modo in extincta lucerna, flamma ſcilicet quæ in ea antè lucebat nec in ellychnio manente, nec aliò commigrante, ſed planè euaneſcẽte: quomodo fieri poteſt, vt tantam mutationem ferat ſine dolore, qui nulla re euidente nitatur? Animæ enim exceſſu audito, quod relictũ quidẽ eſt videmus: quod eſt autẽ ſeparatum ignoramus, & ipſum quidnam ſit ſecundum naturam, & in quidnam tranſierit, non terra, nõ aëre, non aqua, non vllo alio ex elementis, in ſe illam oſtendente poteſtatem quæ exceſsit ex corpore. Quæ cùm exceſſerit, mortuum eſt id quod eſt relictum, corruptioníque & interitui iam expoſitũ. MAC.. Cùm hæc dicerem, interim ſilentio mihi manu indicto, magiſtra, Num te, inquit, is mẽtem
tuam

tuam conturbat & inuadit metus, tãquam non ſemper maneat anima, ſed ſimul deſinat cũ diſſolutione corporis? GREG. Ego autem (animum enim meum nondum hæc ſubierat perturbatio) neſcio quo modo paulò audaciùs reſpondi, quod dicebatur non ſatis conſiderans. Dicebam enim diuinas voces iuſsis eſſe ſimiles, per quæ cogimur quidem neceſſariò credere animam ſemper manere: nulla tamẽ ratione ad hoc dogma deducti ſumus, ſed videtur mẽs intus ſeruiliter metu quod iubetur admittere, non ſua ſponte iis quæ dicuntur aſſentiri. Vnde etiam nobis de mortuis exiſtunt grauiores dolores, cùm nos planè neſciamus, an aliquid per ſe ſit hæc cauſa viuifica, & quánam ratione, & quo modo, an verò non ſit omnino. Veri enim incertitudo facit, vt in vtranq; partẽ pares ſint opiniones: & hoc quidem multis, multis autẽ videtur contrarium. Sunt autem quidam etiam apud Græcos non paruam in Philoſophia gloriam conſecuti, qui hæc exiſtimarunt, & pronuntiauerunt. MAC. Externas, inquit, nugas miſſas facias, in quibus inuẽtor mendacij, vt noceat veritati, in ſpeciem veri falſas componit opiniones. Tu autem ad

hoc intuere, quòd ſic de anima ſentire, nihil eſt aliud quàm eſſe alienum à virtute, & ad præſentem ſolùm intueri voluptatem: quæ autem in ſæcula cõſideratur vitæ ſpem abiicere, per quam ſolùm virtus ſuperat. GREG. Et quomodo, inquã, nobis poſsit exiſtere firma & ſtabilis opinio, quòd anima permaneat? Nam ipſe quoque ſentio, fore vt re omnium quæ ſunt in vita pulcherrima, virtute inquam, humana priuetur vita, niſi certa de eo fides in nobis corroboretur. Quî enim fieri poteſt, vt virtus in iis locum habeat, in quibus vita præſens curriculo circunſcribi exiſtimatur, & poſt eam nihil ſperatur amplius? MAC. Quærere ergo oportet, inquit magiſtra, vndénã quod par eſt principium de iis nobis ceperit oratio: & à te, ſi videtur, ſuſcipiatur contrariorum dogmatum defenſio. Video enim animum tibi ad ea eſſe propenſum. Deinde poſtquàm adducta fuerint contraria, inquiretur ratio veritatis. GREG. Poſtquàm hæc iuſsit, eam precatus ne quæ contradiceremus putaret à nobis ſeriò dici, ſed tãtùm vt veritatis dogma confirmaretur, ſi ſoluta fuerint quæ huic inſtituto & ſcopo aduerſantur, Hæc, inquam, quidem certè dixerint

xerint qui contrariam tuentur ſententiam, quòd corpus cùm ſit compoſitum, omnino reſoluitur in ea ex quibus conſtat. Soluta autem elementorum quæ in corpore coaluerat compage, ad id quod eſt vnicuique proprium ac conueniens, vt eſt conſentaneum, defertur ipſa natura elementorum, neceſſaria quadam attractione id quod eſt proprium reddente ei quod eſt eiuſdem generis. Nam & calido rurſus coniungetur id quod eſt in nobis calidum, & ſolido terrenum, & vnicuique ex reliquis ad id quod eſt cognatum fit tranſitus. Vbínam ergo poſt hæc erit anima? Nam ſi eam quidem dicat quiſpiam eſſe in elementis: eam eandem eſſe quod ipſa, aſſentietur neceſſariò. Nam ſi non ita ſit, miſcebitur id quod eſt diuerſæ naturæ cum alieno. Et ſi ita ſit, exiſtet omnino varia & multiplex, vt quæ ſit cum contrariis commixta qualitatibus. Quod eſt autem varium ac multiplex non eſt ſimplex, ſed omnino conſideratur in compoſitione. Quicquid autem eſt compoſitum, id eſt eiuſmodi vt poſsit diſſolui neceſſariò. Diſſolutio autem eſt eius quod conſiſtit interitus. Quod autem interit, nõ eſt immortale: alioqui ſic quoque caro diceretur im-

Digitized by Google

mortalis, vt quæ diſſoluatur in ea ex quibus conſtat. Sin autem præter hæc eſt alicubi, vbínam eam eſſe ſuggerit ratio, cùm non inueniatur quidem in elementis, propterea ꝙ ſit alterius naturæ, nihil autem aliud ſit in mũdo in quo poſsit eſſe anima cõuenienter viuẽs ſuæ naturæ? Quod autẽ nuſquã eſt, ne eſt quidẽ omnino. MAC. Magiſtra autẽ his dictis ſenſim ſuſpirans, Hæc, inquit, & quæ
Act. 17 ſunt eiuſmodi, Athenis olim aduerſus Apoſtolũ cõgregati proferebãt Stoici & Epicurei. Audio enim Epicurum in hãc eſſe propenſum ſententiam, vt exiſtimet fortuitò & caſu rerum factam eſſe naturam, per res nulla permeante prouidentia: & ideò conſequenter humanam quoque vitam putabat, inſtar bullæ ſpiritu quodam extenſo noſtro corpore, tandiu eſſe, donec contineatur ſpiritus ab eo quod ambit: cùm autem conciderit inflata magnitudo, ſimul etiam extingui id quod eſt interceptum. Eorum enim quæ ſunt naturæ, erat ei terminus id quod cernitur, & vniuerſitatis cõpreheẽſionis modum ſtatuebat eſſe ſenſum, obſtructis omnino ſenſibus animæ, ad nihil eorum quæ cadunt ſub intelligentiam & ſunt incorporea valens aſpicere: quo modo

do qui in aliqua eſt incluſus domuncula, minimè vnquam contemplatur cœleſtia miracula, vt quē parietes tectúmq; impediat ne quæ extrà ſunt aſpiciat. Re vera enim terreni quidam ſunt parietes quęcunque in vniuerſitate cernuntur in ſenſibus infixa, ab iis quæ percipiuntur intelligentia contemplandis, per ſe arcentes eos qui ſunt puſilli & abiecti animi. Qui eſt huiuſmodi, is terram ſolùm aſpicit, & aquam, & aërem, & ignem. Vnde autem ſit eorum vnumquodque, & in quo ſit, & à quo contineatur, perſpicere nō poteſt ob puſillum & abiectum animum. Et viſa quidem veſte, textorem animo cogitat quiſpiam, & per nauem intelligit nauis fabricatorem, & conſpecto ædificio, manus ædificatoris verſatur in mente ſpectatorum. Iſti autem mundum aſpicientes, ad eum qui per ea ſignificatur, cęcutiunt. Hinc præclara hęc & acuta proferuntur ab iis qui animam extingui opinantur, nempe corpus eſſe ex elementis, & elementa ex corpore, & non poſſe animam per ſe conſiſtere, ſi non ſit ex iis aliquid, neque in iis. Si enim quoniam non eſt anima eiuſdem naturæ cuius ſunt elementa, ideò nuſquam eam eſſe cenſent iſti qui contradi-

cunt:ij primùm quoque eam quæ eſt in carne vitam ſtatuant eſſe inanimam. Non eſt enim aliquid aliud corpus, quàm concurſus elementorum. Igitur ne in his quidem dicant eſſe animam per ſe viuificantem id quod eſt coagmẽtatum: ſi quidem fieri nõ poteſt poſteà, vt opinantur, vt ſi ſint elemẽta, anima quoque ſit: adeò vt nihil aliud quàm mortuam eſſe noſtram vitam ab eis oſtendatur. Si autem nunc in corpore non dubitant eſſe animam, quomodo eo in elementa diſſoluto animam extingui ſentiũt? Deinde in ipſam quoque diuinam naturã eadem audeant. Quomodo enim dicent intelligentem materiæque & formę expertem naturam, humida & mollia, calidáque & ſolida peruadentem, in eſſentia ea quæ ſunt continere, cùm nec cum iis in quibus exiſtit vllam habeat cognationem, nec in eis eſſe poſsit, propterea quòd ſit diuerſi generis? Ab eorũ ergo dogmate ipſe quoque Deus omnino tollatur, quo quæ ſunt continentur. GREG. Hoc ipſum, inquam ego, quomodo fuerit dubium apud eos qui contradicunt, ex Deo eſſe omnia, & quæ ſunt, in eo contineri, aut omnino eorum quę ſunt natura Deũ eſſe ſuperiorẽ? MAC.

Tum

Digitized by Google

Tum illa, In rebus, inquit, eiuſmodi tacere eſſet conuenientius, nec ſtultas & impias propoſitiones dignas putare reſponſione. Nam diuina quoque quædam ſententia *Pro.26.* prohibet non reſpondere inſipienti ſecundùm ſuam inſipientiam. Eſt autem planè inſipiens, vt ait Propheta, qui dicit non *Pſal.52.* eſſe Deum. Quoniam autem hoc quoque dicendum eſt, dicam tibi, inquit, non meã nec vllius alterius orationem, parua enim eſſet quantacũque ea ſit, ſed eius quem eorum quæ ſunt creatio refert & enarrat per ea quæ ſunt in ipſa miracula: cuius auditor eſt oculus, per ea quæ cernuntur verbo præclaro opifice in corde reſonante. Apertè enim effectorem clamat ipſa creatio cœlorum, ſicut dicit Propheta, vocibus ineffabilibus gloriam Dei enarrantium. Quòd *Pſal.18.* ſi quis quæ in ſuperioribus locis inferníſque, id eſt, in cœlo & terra ſunt miracula, ipſámque adeò vniuerſitatis cõpagem intueatur, commodè poterit intelligere, quomodo cùm ſint inter ſe natura contraria elementa, omnia tamen ad eundem ſcopum per quandam inexplicabilem cõnectuntur ſocietatem, ſuam vnumquodque facultatem ad hoc vt vniuerſitas permaneat, con-

Digitized by Google

ferentia,& neque immixta nulláque cōmunione coniuncta, per qualitatum proprietatem à ſe inuicem ſeiunguntur, neque in ſe inuicem intereunt, inter ſe contrariis confuſa qualitatibus: ſed & quibus eſt leuis & quæ ſurſum fertur natura, deorſum feruntur, ſolis calore defluente per radios: & grauia corpora ſuſtolluntur, vt quæ ſubtilia reddantur per vapores: adeò vt & aqua præter ſuam naturam ſurſum feratur per aërem vecta in ſpiritibus, & æthereus ignis fiat terrenus, ita vt nec profundum quidē ſit expers caloris: ab imbribus autē humor terræ infuſus, cùm vnus ſit natura, gignat innumerabiles germinum differētias, ſubiectis omnibus conuenienter inditus. Celerrimum quoque poli ambitum, internorúmque circulorum motum in aduerſum, aſtrorúmque curſus & coitus, & numeroſos receſſus. Qui hæc intuetur oculo animi cogitationis, an non apertè docetur per ea quæ cernuntur, quòd diuina virtus artificium & ſapientiam rebus oſtendens, omniáq; permeās, & partes toti cōiungit ac cōpingit, & totum cōplet in partibus, & vna quadam virtute continetur ipſa vniuerſitas, in ſe manens & circa ſe mota, & nec à

motu

motu vnquam deſinẽs, nec in vllum alium locum tranſlata, præter eum in quo eſt? GREG. Ad hæc ego, Quî fieri, quæſo, poteſt, vt vna eadémque fide confirmetur Deus, atque ipſa hominis anima? Non eſt enim anima idem quod Deus, ita vt ſi quis vnum confiteatur, ſimul quoque confiteatur reliquum. MAC. Tum illa, Dicitur, inquit, à ſapientibus homo eſſe quidã paruus mundus, qui hæc in ſe continet elementa, quibus completa eſt vniuerſitas. Si autem hoc verum eſt, vt eſt conſentaneum, fortaſſe non alio nobis opus fuerit auxilio, vt cõfirmetur id quod de anima cenſuimus. Cẽſuimus autem eam per ſe eſſe in propria natura, & diuerſam à corporea craſsitudine. Quo modo enim per ſentientem apprehẽſionem mundum vniuerſum agnoſcentes, per ipſam noſtram ex ſenſu operationem deducimur ad notionem rei & intelligentiæ quæ ſenſum ſuperat, & fit noſter oculus interpres omnipotentis ſapientiæ, quæ in vniuerſitate quidem cõſideratur, per ſe autem eũ indicat qui ex ipſa apprehẽdit vniuerſitatem: ita ad eum quoque qui in nobis eſt mundum intuentes, non paruas habemus occaſiones per ea quæ cernuntur

coniectandi id quoque quod eſt abſconditum. Abſcõſum eſt autem illud, quod cùm in ſe ſit eiuſmodi vt intelligentia percipiatur & ſit formæ expers, effugit ſenſus perceptionem. GREG. Ego dixi, Sed quę vniuerſitatem ſupereminet ſapientia, reputari poteſt per natura ſapientes & artificioſas rationes quę conſiderantur in hoc concinno mundi ornatu. Animę autem quænã fuerit cognitio, per ea quæ corpore oſtenduntur, eis qui ex iis quę apparẽt, id quod eſt occultum inueſtigant? MAC. Maximè quidem, inquit virgo, iis qui conuenienter ſapienti illo præcepto cupiunt ſeipſos noſcere, opinionum de anima magiſtra eſt ipſa anima, nẽpe quòd ea ſit materiæ expers & incorporea, quæ conuenienter ſuæ naturæ operetur & moueatur, & per inſtrumenta corporea ſuos motus oſtendat. Nam inſtrumentaria ipſa corporis ſtructura eſt quidẽ nihilo ſecius etiam in iis qui ſunt morte affecti: ſed manet immobilis, nec fungitur munere operationis, cùm in ea nõ ſit facultas animalis. Proptereà ergo mouetur quãdo & ſẽſus fuerit in inſtrumẽtis, & per ſenſũ peruaſerit intelligẽs facultas, ſentiẽdi inſtrumẽta ſuo impulſu ad id quod videtur cõmouens.

ués. GREG. Quid ergo, dixi, eſt anima, ſi poteſt eius natura aliqua ratione deſcribi, vt per deſcriptionẽ id quod eſt ſubiectum, nõ nihil à nobis intelligatur? MAC. Magiſtra autem, Alij quidem, inquit, aliter quid ea eſſet, enuntiarũt, vt ſibi videbatur ſinguli definientes. Noſtra autem de ea ſic habet ſententia. Anima eſt eſſentia genita, eſſentia viuens, intelligens, corpori inſtrumentario & ſentiendi facultate prædito, vitalem facultatem & ea quæ ſubiiciuntur ſenſibus apprehendentem per ſe immittens, donec conſiſtit natura quæ ea poteſt ſuſcipere: ſimúlque dum hæc diceret, manu oſtendit medicum, qui ad medendum corpori ei aſſidebat, & dicit, Propè adeſt eorum quæ à nobis dicta ſunt teſtimonium. Quomodo enim, inquit, hic arteriæ tactu digitorum admoto, per ſenſum tactus ſentit quodammodo clamantẽ ad ipſum naturam, & narrantem ſuas affectiones? nempe quòd ægritudo corporis eſt in intenſione, & ex his viſceribus incitatus eſt morbus, & eò vſque inflãmationis extenditur intenſio. Eiuſmodi quoque alia diſcit ex oculo, & ad figurã intuens decubitus, & ad carnis liquefactionem. Internam quoque affectionem ſigni-

ficat & forma coloris, vt quæ ſit pallida & biliosſa, & iactus oculorũ, qui ad mœrorem & triſtitiam ſua ſponte inclinat. Itidem fit quoque auditus magiſter ſimilium, vt qui crebro anhelitu, & quod ſimul cum reſpiratione editur ſuſpirio, agnoſcit affectum. Dici autẽ poteſt nec eius quidem qui eſt ſciẽtia præditus, odoratum eſſe eiuſmodi vt nõ ſpeculetur affectionẽ, ſed per qualem proprietatem anhelitus, agnoſcere ægritudinẽ quę latet in viſceribus. Niſi ergo aliqua quę intelligẽtia percipitur facultas adeſſet vnicuique inſtrumẽto ſenſuum, quidnam nos manus ex ſeipſa docuiſſet, ad eius quod eſt ſubiectum cognitionem tactum deducente notione? Quid verò auditus ſeparatus à cogitatione, aut oculus, aut naris, aut vllum aliud inſtrumentum ſenſus, ad eius quod quæritur iuuiſſet cognitionem, ſi per ſe ſolũ eſſet eorum vnumquodque? Sed eſt omniũ veriſſimum quod quidam ex iis qui in externis verſati ſunt diſciplinis, pulchrè dixiſſe commemoratur, Mẽtem eſſe quæ videt, & mentem quæ audit. Si enim hoc quiſpiam non eſſe verum cõceſſerit, dic tu quẽadmodum ad ſolem intuens, ſicut te magiſter docuit intueri, non quantus multis apparet,

Ariſto. ſect. 11. *proble.* 33.

paret, tantum eum eſſe dicis circuli magnitudine, ſed vniuerſam terram longo ſpatio ſuperare? Nō quoniam qualem motū, temporúmque & locorum interualla, & defectuum cauſas, per ea quæ apparent mente ſecutus, ita rem habere audacter pronuntias. Lunæ quoq; diminutionem intuens & incrementum, alia diſcis per eam quę apparet in elemento figuram, nempe & eam ſecundùm ſuam naturam carere lumine, & orbem terræ proximum obire, illuſtrari autem à ſolis radiis, vt naturaliter fieri cōſueuit in ſpeculis, quæ ſolem in ſe ſuſcipientia, ſuum reddunt ſplendorem, ſolis lumine ex leui & reſplendente corpore in aduerſùm reflexo. Quod quidem iis qui aſpiciunt citra vllam examinationem, ex ipſa luna videtur eſſe lumen. Oſtenditur autem non ita habere, quòd cùm ſoli quidem fuerit aduerſa ex diametro, toto qui nos aſpicit orbe illuminatur. In minori autē qui eſt apud ipſum loco, celeriùs obiēs eum in quo ipſa eſt circulū, priuſquàm ſol ſuū curſum ſemel cōfecerit, ipſa plus quàm duodecies ſuū abſoluit ambitū. Quamobrem euenit vt non ſemper luce impleatur elementum. In frequenti enim ambitu non manet aſſiduè ei

aduerſa fronte qui longo tẽpore ſuũ ambit polum, ea quę breui tempore ſuum ſæpe circuit. Sed ſicut ſitus qui ſoli directo eſt oppoſitus, vniuerſam quæ ad nos aſpicit lunæ partem per ſolis radios illuminat: ita quãdo ſoli obiecta fuerit ex tranſuerſo, quod ſemper eſt apud eũ lunę hemiſphęrio, radiorũ ambitu intercepto, id quod nos ſpectat neceſſariò obumbratur, trãſmoto ſplendore ab ea parte quæ ſolem non poteſt aſpicere, ad eã quæ ſemper eſt apud illum, donec directò ſubiens orbem ſolis, in tergo radium ſuſceperit. Sic illuſtrato quod eſt ſupernè hemiſphęrio, quæ ad nos vergit partem facit minimè aſpectabilem, quòd ſit omnino ſua natura luce vacua, quod quidem dicitur perfecta elementi diminutio. Si autem motu ſui curſus ſolem rurſus præterierit, & ex tranſuerſo radio obiecta fuerit, quod prius carebat lumine, tunc incipit ſublucere, ab eo quod erat illuminatum ad id quod non lucebat radio tranſeunte. Vidéſne quorúmnã ſit tibi magiſter viſus, qui tibi per ſe nõ prębuiſſet eorum contemplationem, niſi eſſet aliquid quod aſpicit per oculos, quod iis quæ ſenſu cognoſcuntur, veluti quibuſdam vtens ducibus, per ea quæ cernũtur permeat

ad

ad ea quæ nō cernūtur? Quid opus eſt geometricas addere demonſtrationes, quæ per ſenſiles characteres nos deducūt ad ea quæ ſenſum ſuperant: & alia præter hæc innumerabilia, per quæ conſtat, quòd per ea quæ in nobis aguntur corpore, fit cōprehēſio intelligētis eſſentiæ quæ in noſtra natura eſt abſcondita? GRE. Quid verò, aiebā, ſi quo modo commune quidem eſt in ſenſili elementorū natura id quod eſt particeps materiæ: ſeorſum autē in vnaquaque ſpecie magna eſt materiæ differentia. Nam & eius motus eſt è contrario, cùm alia quidem tendat ſupernè, alia verò infernè deprimatur: ſpecies autem non eſt eadem, & diuerſa eſt qualitas: in aliquo horum ſimul eſſe per eſſentiā, vt eſt conſentaneum, quiſpiam dixerit eſſe facultatem, quæ has intelligentiæ viſiones & motiones ex naturali proprietate & poteſtate operatur: cuiuſmodi multa videmus fieri ab iis qui fabricantur machinas, à quibus materia artificiosè cōcinnata, imitatur naturam, non in ſola figura oſtendens ſimilitudinem: ſed & in motu verſatur, & quendam refert ſermonem, reſonante machina in parte qua vox editur. Nec vtique in iis quæ fiunt conſideramus vllam quæ mente

percipiatur facultatem ſingula operantem, figuram, ſonum, motionem. Si eadem dixerimus etiã in hoc mechanico ſordidóq; noſtræ naturæ inſtrumẽto, nulla ſeorſum infuſa quę mẽte percipitur natura fieri, ſed quadam à natura inſita facultate mouente ea quæ ſunt in nobis elemẽta, & operationem eiuſmodi eſſe effectum, quæ nihil eſt aliud quàm motus quidam impellens, qui verſatur circa cognitionem eorum quorum ſtudio tenemur: quid per hæc magis probetur, an in ſe eſſe illam incorpoream & quę mente percipitur animæ eſſentiã, an ne eſſe quidem omnino? MAC. Illa autem, Id quod diximus, inquit, exẽplum quoque adiuuat, & totus apparatus illatæ in nos obiectionis, non parum conferet ad ſtabilitatem eorum quæ à nobis percepta ſunt intelligentia. GREGOR. Quomodo hoc dicis? MAG. Quoniam, inquit, ita ſcire tractare & cõcinnare inanimam materiam, vt ars in machinas immiſſa materiæ propemodum ſit pro anima, per quas imitatur motum, & ſonũ, & figuras, & quæ ſunt huiuſmodi, apertè probauerit, quòd eſt aliquid eiuſmodi in homine, cui natura eſt inſitum, vt per contemplandi & inueniendi facultatem, cogi-

tatione apud ſe concipiat & præparet machinas, deinde ad operationem eas per artem deducat, & oſtendat per materiam id quod mente agitauit. Primùm enim excogitauit quòd ad edendã voçẽ opus ſit ſpiritu. Deinde vt in machinã immittendi ſpiritus excogitaretur ratio, naturam elementorum reputando prius examinauit, conſiderans quòd in iis quę ſunt, nihil eſt vacuũ, ſed collatum cum eo quod eſt grauius, id quod eſt leue reputatur vacuum. Nam ipſe quoque in ſe ſua ſubſtantia aër eſt refertus ac plenus. Vacuum enim vas dicitur ex abuſione, quando eſt humido vacuum. Nihilominùs autem id quoque aëre plenum dicit eruditus. Signum autem eſt, quòd in lacum illata amphora non protinus aqua impleatur, ſed primũ ſupernatet, intercepto aëre concauum ſuperius ſuſtinente, donec haurientis manu preſſa amphora fuerit in profundo, & ore tunc aquã acceperit. Quod cũ fiat, oſtenditur eam non eſſe vacuam etiam ante aquam acceptam. In oſculo enim cernitur quædam pugna duorum elementorum, cùm aqua quidem prę grauitate in cõcauum vi feratur & influat, aër autem qui concauo fuerat interceptus, per ipſum oſcu

lum retrò circa aquam comprimatur & refluat, adeò vt propterea diſſecetur, aut etiã valde reſonet aqua ſpumans vi ſpiritus. Hęc ergo conſiderauit, & quomodo in machinam immitteretur ſpiritus, per elementorum naturam excogitauit. Cùm enim quiddam concauum ex capaci & ſolida cõſtruxiſſet materia, & in eo incluſum aërem vndique continuiſſet ne efflaretur, in concauum aquam inducit per oſculum, conuenienter vſui aquæ quantitatem dimenſus. Deinde in propè ſitum canalem, dat aëri ex aduerſo tranſitum. Aër autem ab aqua violentiùs expreſſus fit ſpiritus, qui in conſtructum canalem incidens, edit ſonum. Númquid ergo per ea quę cernuntur apertè oſtẽditur, quòd in homine mens quædam eſt aliquid aliud pręter id quod cernitur, quæ eo quòd eſt formæ expers intelligénſque ſuæ naturæ, hęc in ſe excogitata præparat? Deinde per materiæ particeps miniſteriũ, in apertum producit quod intus conſtitutum fuerat cogitatum. Si enim, ſicut nobis fuit obiectum, naturæ elementorum liceret adſcribere eiuſmodi miraculorum effectiones, caſu nobis omnino conſiſterent machinæ, nec æs expectaret artem vt viri

referret

Digitized by Google

referret ſimilitudinem, ſed à natura ſtatim eſſet eiuſmodi: neque tubo opus haberet aër, vt ſonum ederet, ſed ſemper ex ſe ſonaret, vt qui, vt accidiſſet, flueret & moueretur: nec aqua per canalem ſurſum vi ferretur, premendi arte exprimente motum ad id quod eſt præter naturam. Sed aqua ſua ſponte omnino aſcenderet, ſurſum ſua natura deducta ad machinam. Quod ſi ita eſt, nihil caſu fit ſuáue ſponte ex iis quæ fiunt à natura elementorum, ſed ad id quod videtur arte vnumquodque ducitur. Ars autem eſt quædam firma ac ſtabilis cogitatio, quæ ad ſcopum aliquem operatur per materiam. Cogitatio autem eſt qualis motus & operatio mẽtis. An non ergo per ea quæ ſunt nobis obiecta, aliquid aliud eſſe mentem quàm id quod cernitur, oſtendit dictorum conſequentia? GREG. Ego autẽ hoc quidem ita habere ipſe quoque dico, nempe non idẽ eſſe id quod non cernitur, quod id quod cernitur: ſed in eo quod dicis non video quod quęritur. Nondum enim mihi conſtat, quídnam oporteat vocare id quod cernitur: ſed quòd nõ ſit quidem quidquã materię particeps, tua didici oratione. nondum autem noui quídnã de eo dicere opor

teat. Ego autem hoc maxime volebam ſcire, non quid non ſit, ſed quid ſit. MAC. Illa autem, Multa, inquit, de multis ſic diſcimus, ex eo quod dicimus nõ eſſe hoc quidpiam, quódnam ſit ipſum eſſe eius quod quæritur interpretantes. Απόνηρον enim, id eſt, non malum dicentes, bonum oſtẽdimus: & ἄνανδρον, id eſt, non virum nominantes, timidũ agnoſcimus: multáque dici poſſunt his ſimilia, per quę vel benigniorem accipimus intelligentiam per malorum negationem, vel cõtrà animo conuertimur ad deterius, bonorum ablatione quod malum eſt indicantes. Sic ergo ſi in eo quoque de quo in præſentia dicitur, cogitarit quiſpiam, non aberrarit ab ea quam par eſt habere, notione de eo quod quęritur. Quęritur autem, quídnã mentem exiſtimare oporteat in ipſa eſſentia. Qui ergo id quidem eſſe de quo agitur, per eam quæ nobis ab ipſo oſtenditur, operationem nõ dubitat, vult autem ſcire quid ſit, ſatis inuenerit, eò quòd didicerit ipſum id non eſſe quod ſenſus comprehendit, nõ colorem, non figuram, non renitentiam, non grauitatem, nõ quantitatem, non quæ ſit in tria dimenſionem, nõ eam quæ eſt in loco poſiturã, neque quidquã omnino eorum

rum quæ cõprehẽduntur in materia, ſi quidem eſt aliquid aliud præter hæc. GREG. Ego autẽ interim dum hæc diſſereret, Neſcio, inquam, quomodo fieri poſsit vt ſi hęc omnia auferantur ab oratione, nõ vnà etiã cũ iis deleatur quod quęritur. Cuínã enim abſq; his adfuerit ſtudiũ & cura cõprehẽdẽdi? vt enim ego quidẽ exiſtimo, nondũ cernitur. Semper enim in iis quæ ſunt inquirẽdis, per examinantẽ cogitationẽ ſcrutãtes id quod quæritur, tanquam cæci quidã ad oſtium deducti per parietes, tangimus omnino vnum eorum quæ dicta ſunt, vel colorem inuenientes, vel figuram, vel quantitatem, vel aliquid aliud ex iis quæ nũc ſunt à te enumerata. Quando ergo eorum nihil eſſe dicitur, ad hoc vt ne omnino quidem quidquam eſſe putemus, à puſillo & abiecto animo deducimur. MAC. Illa autem dum loquerer, eiulans, O rem, inquit, abſurdam! Ad quem exitum conuertit hoc humile & abiectum de iis quæ ſunt iudicium? Si enim remotum fuerit ab eſſentia quidquid ſenſu non cognoſcitur, ne ipſam quidem poteſtatem quæ præeſt vniuerſitati & ea quæ ſunt apprehendit, confitebitur qui hoc dicit, ſed cùm eſſe incorpoream & formæ ex-

pertem naturam diuinam didicerit, non eã eſſe omnino iudicabit ex hac cõſequentia. Si illic autem quòd hæc non ſit, non affert præſcriptionem quin ſit: quomodo mens humana quo minùs ſit,repellitur, vt quæ ſimul conſumatur cum ablatione proprietatum corporearum? GREG. Igitur, inquam ego,ex abſurdo aliud abſurdum aſſumimus per hanc conſequẽtiam. Eò enim nobis rediit oratio,vt mentem noſtram idem exiſtimemus quod diuinam naturam: ſi quidem vtrunque intelligitur per ablationem eorũ quæ inueniuntur per ſenſum. MAC. Ne idẽ dixeris,inquit magiſtra: nã hæc quoque eſt impia oratio: ſed ſicut à voce diuina didiciſti, dic hoc illi ſimile. Quod enim factum eſt ad ſimilitudinẽ, habet omnino per omnia cum exemplari ſimilitudinem, intelligens intelligenti, & incorporeum incorporeo, & eſt ab omni mole corporea liberum, ſicut illud,& effugiens omnem interualli dimenſionem illi conſimiliter. aliquid autem aliud eſt ab illo, quod ad naturæ attinet proprietatem. Non fuerit enim amplius vtiq; imago,ſi per omnia idem fuerit quod illud: ſed in quibus in increata natura illud aſpicitur,in iiſdẽ creata natura hoc oſtendit.

oſtēdit. Quo modo ſæpe in paruo vitri ramento, cùm radio fuerit expoſitum, totus inſpicitur orbis ſolis, non in eo apparens in ſua magnitudine: ſed vt ramēti breuitas capit orbis apparitionem: ita in noſtræ naturæ breuitate reſplendent imagines illarum ineffabilium diuinitatis proprietatum, ita vt per hæc deducta ratio, non excidat à cōprehenſione mentis in eſſentia, proprietate corporea expurgata in examinatione cōſiderationis: neque rurſus paruā & interitui obnoxiam naturam, in idem deducat quod interminatam naturam, & in quam non cadit interitus: ſed quæ intelligentia quidem percipitur, exiſtimet eſſentiam, quoniam eſſentiæ quę intelligentia percipitur, eſt imago: non tamen eandem eſſe dicat imaginē quod exemplar. Quo modo ergo per inexplicabilem Dei ſapientiam quę apparet in vniuerſitate, diuinam naturam & poteſtatē in omnibus quæ ſunt, eſſe non dubitamus, vt omnia maneant in eſſentia: (quanquā ſi quis naturę rationem exegerit, lōgiſſimè abeſt Dei natura ab iis quę in ſingulis in creatione oſtenduntur & intelliguntur: in iis tamen eſſe conſtat quod diſtat ſecūdùm naturam:) ita minimè eſt incredibile, animę

quoque eſſentiam, quę per ſe eſt aliquid aliud quodcunque eſſe coniectetur, non impediri quo minùs ſit, licet quę tanquam elementa in mundo conſiderantur, ei non eueniant ratione naturæ. Neque enim viuentia, ſicut iam priùs dictum eſt, corpora, quę conſtant ex temperatione elementorum, habent quidquam commune, quod attinet ad eſſentię rationẽ, cum formę experte animę ſimplicitate in corporea craſsitudine. Sed tamen non dubitatur in his eſſe vitalem animę operationẽ maiore quadam ratione contẽperatam, quàm vt mens humana eam poſsit aſſequi. Ergo nec ſi in ſe reſoluta fuerint quæ ſunt in humano corpore elemẽta, id periit quod ea per vitalem colligebat operationem. Sed quo modo adhuc conſtante eo quod eſt compoſitum ex elementis, animantur ſingula, æqualiter & ſimiliter omnes partes quæ corpus cõplent ſubeunte anima: & nec ſolidã nec renitentẽ eã eſſe dixerit cum terreno cõtemperatam, neque humidam aut frigidã, aut frigido cõtrariam qualitatem, quę eſt in his omnibus, & vnicuique vitalem immittit facultatem: ſic quoque eo quod erat compoſitum ſoluto, & ad ſua rurſus reuerſo, ſimplicem illam

&

& incompoſitam naturã adeſſe vnicuique parti exiſtimare etiam poſt diſſolutionem, nequaquam eſt alienum à veriſimilitudine, ſed quę ineffabili quadam ratione in eo ſemel coaluit quod cõpoſitum fuit in elemẽtis, in iis ſemper manere in quibus fuit cõmixta, nullo modo diuulſa ab ea quę ſemel facta fuit coaleſcentia. Non enim quoniam ſoluitur id quod eſt compoſitum, etiã cum compoſito diſſolui neceſſe eſt id quod non eſt compoſitum. GREG. Ego autem dixi, Sed elementa quidem inter ſe cogi, & à ſe inuicem diſcerni, & hoc eſſe diſſolutionem corporis, nemo contradixerit. Quoniam autẽ inter vnumquodq; eorum multùm intereſſe intelligitur, & inter ſe diuerſi ſunt generis, tã quod attinet ad loci poſiturã, quàm quod ad qualitatum differẽtiã atq; proprietatẽ: cùm in ſubiecto quidẽ elemẽta inter ſe coïerint, hanc intelligentem & quæ nullo interuallo diſiũgitur, naturam, quam vocamus animam, conſentaneum eſt coaleſcere in eo quod eſt vnitum. Sed ſi ea fuerint à ſe inuicẽ ſeparata, & ibi fuerit vnumquodque quò ipſum ducit natura, quidnã fiet animæ ei multifariam diſperſo vehiculo? Vt nauta qui naue naufragio diſſoluta,

non poteſt omnibus nauigij partibus, aliis alibi per mare diſsipatis, ſimul innatare: omnino accepta ea quæ ſe obtulerit, reliquas relinquet ferendas fluctibus. Eodem modo anima quoque cuius non patitur natura vt in diſcretione elementorum ipſa quoque ſimul diſſecetur: ſi quidem difficiliter diſcedat à corpore, vni cuipiam aggregata elemento, ab aliis ſeparabitur: neque magis vt eam cenſeamus immortalem, quòd in vno viuat, quàm mortalem, quòd non ſit in pluribus, dat orationis conſequentia. MAC. Sed neq;, inquit, contrahitur, neq; diffunditur quod intelligentia percipitur; nec vllo interuallo diſiungitur. Corporum enim eſt propriũ contrahi & diffundi. Ex æquo autẽ ſecũdùm ſuam naturã incorporeã & formæ expertẽ adeſt & elementorũ in corpore cõiunctioni, & eorundẽ diſiunctioni: neq; conſtrictis in eo quod eſt compoſitũ elementis redacta in anguſtias: neque cùm abierint ad ea quæ ſunt ſibi genere coniuncta & ſecundùm naturam, ab eis recedens, etiam ſi videatur multum intercedere interuallum, quod conſideratur in diuerſitate elementorum. Eſt enim magna differentia inter leue & quod ſurſum fertur, & graue ac terrenum,

num, & inter calidum & frigidum, humidúmque & contrarium. Sed tamen nullus eſt labor intelligenti naturæ, adeſſe vnicuique eorum quibus ſemel inoleuit per contemperationem, nequaquam ſimul diſſecta cum elementorum repugnantia. Non enim, quoniam loci diſtantia, & quali proprietate, ea procul à ſe inuicem cenſentur, propterea laborat natura quam nulla ſpatij diſtantia poteſt dimetiri, cōiuncta iis quę loci ſpatio diſiunguntur. Nam nunc quoque licet & mente cœlum ſimul cōtemplari, & ad fines mundi extēdi curioſa inueſtigatione: nec ideo diuellitur contemplandi vis noſtræ animę in tantam extenſa longitudinem. Nihil obſtat ergo quominùs anima ex æquo adſit elementis corporis & per coïtionem contemperatis, & diſſoluta temperatione. Quo modo enim auro & argento colliquato inſpicitur vis quædam artificioſa quæ materias colliquefecit, & ſi rurſus alterū alterius fuerit colliquefactū, manet nihilominùs artis ratio in vtroq;: & materia quidem fuit diuiſa, ars autem non fuit diſſecta ſimul cū materia. quomodo enim diuideretur id quod eſt indiuiduum? Eadē ratione intelligens quoque natura animæ,

& in elementorum coïtione inſpicitur, & iis diſſolutis,non excernitur:ſed & in iis manet,& eorum ſeparatione ſimul extenſa nõ amputatur, neque pro numero elementorum in partes & fruſta diuiditur. Hoc eſt enim proprium corporeæ naturę & quę interualli ac diſtantiæ ſuſcipit dimenſionem. Intelligens autem natura, & quæ interualli non habet dimenſionem, quæ ex interuallo ac diſtantia eueniunt non ſuſcipit. Eſt ergo in eis anima in quibus ſemel fuit, nulla neceſsitate eam auellente ab illa quæ cum eis fuit coaleſcētia. Quid eſt ergo in eis graue,ſi cum viſibili mutatur id quod non videtur, aut quánam de cauſa tam malè audit mors apud tuum animum? GREG. Ego autem animo repetens definitionem animæ, quam fecerat in iis quæ antè dixerat, dixi orationem illam non ſatis mihi oſtendere facultates quæ conſiderantur in anima, quæ dicit eam immittere facultatem ad operationem ſenſuum. Non ſolùm enim operatur noſtra anima in cogitationē qua ſcientiam habemus & contemplamur, id agens in intelligenti facultate eſſentiæ: neque ſola ſenſuum inſtrumenta adminiſtrat ad operationem quæ eſt ſecundùm naturā:
ſed

ſed multus quidē ex cupiditate, multus autem etiā ex animo & ira motus cōſideratur in anima. Cùm vtrunque autē eorum ſit in nobis in genere, in multas & varias differētias videmus procedere operationibus vtrorumque motionē. Nam multa quidem licet videre ad quæ dux eſt vis cōcupiſcendi, multa autem rurſus quæ oriuntur ex vi iraſcendi. nihil autem eorum eſt corpus: incorporeum autem omnino eſt intelligens. Rem autem quampiam intelligentem, animam pronuntiauit definitio: adeò vt duorum abſurdorum alterum exurgat ex conſequentia orationis, nempe vt vel ira & cupiditas ſint in nobis aliæ animæ, & pro vna multæ conſpiciantur, vel nec quæ in nobis quidem eſt, vim cogitandi exiſtimemus animam. Illud enim intelligens, omnibus ex æquo accommodatum, vel omnia oſtēdet animas, vel vnumquodque eorum ex ęquo eximet ab animæ proprietate. MAC. Illa autem, Rem, inquit, hanc iam à multis aliis examinatam, ipſe quoque cōſequenter inquiſiuiſti, quídnam hæc exiſtimare oporteat, nempe concupiſcendi vim & vim iraſcendi: an ſint ſimul indita in ipſam animæ eſſentiam, & ſtatim ſimul in ipſa exi-

C

Digitized by Google

ſtant conſtitutione, an ſint aliquid aliud quàm ipſa, & nobis accedant poſteà. Nam quòd ea inſpiciantur in anima, omnes ex æquo confitentur. Quid autem de his exiſtimare oporteat, nondum plenè accuratéque inuenit ratio, vt de iis firmam ac ſtabilem habeant ſententiam, ſed adhuc errantibus & diuerſis de his opinionibus multi adhuc dubitant. Nobis autem ſi ad probandam quidem veritatem ſufficeret externa philoſophia quæ de his tractauit artificioſè, ſuperuacaneum fortè eſſet de anima diſputationem proponere conſiderandam. Quoniam autem illis quidem, prout viſum erat cõſequens, liberè de anima proceſsit contemplatio: nobis autem non datur ea poteſtas, dicendi, inquam, quæ volumus, cuiuſuis dogmatis regula & lege ſancta vtẽtes ſcriptura: neceſſariò ad eam aſpicientes, hoc ſolum admittimus quod cum ſcopo ſcripto conuenerit. Platonicum ergo currum prætermittentes, & pullorum bigã ei adiunctam, qui non ſimili interſe ferebantur impetu & appetitione, & aurigam qui erat eis ſuperior, per quæ omnia ſic de anima philoſophatur in ænigmate: & quæ illum ſequutus Philoſophus, qui artificioſè

ſequens

ſequens ea quæ apparent, & quæ ſunt nunc nobis propoſita diligenter examinans, per hæc eſſe mortalem pronuntiauit animam: & omnes qui & antea & deinceps, quíque & ſoluta oratione & numeroſo verſu ſunt philoſophati relinquentes, orationis ſcopũ nobis proponemus ſcripturam diuinitus inſpiratam, quæ ſtatuit in anima nihil eſſe exceptum, quod nõ ſit etiam proprium diuinæ naturæ. Qui enim Dei ſimilitudinem dixit eſſe animam, quidquid à Deo eſt alienum, pronuntiauit eſſe extra definitionem animæ: non enim ſimile in differẽtibus ſeruaretur. Quoniam ergo nihil huiuſmodi conſideratur in diuina natura, ea ne in animæ quidem eſſentia cõſtitiſſe iure quis exiſtimauerit. Atque arte quidẽ dialectica per ſyllogiſticam & analyticam ſcientiam noſtra quoque confirmare dogmata, tãquam imbecillam & ſuſpectã ad demonſtrandam veritatẽ, eiuſmodi orationis ſpeciem recuſabimus. Eſt enim omnibus manifeſtũ quòd curioſa dialectica pares ad vtrunque vires habeat, nempe & ad euertẽdam veritatem, & ad falſum conuincendum. Vnde etiam ipſam veritatem, quando cum huiuſmodi arte producta fuerit, ſæpe habemus ſuſpe-

ctam,nempe quòd eius peritia mẽti noſtræ imponat, & aberrare faciat à veritate. Si quis autem nõ confirmatam & ab omni integumento nudam admittat orationẽ, dicemus vt fieri poterit, per ſeriem narrationis ſcripturæ adducentes de iis contemplationẽ. Quid eſt ergo quod dicimus? Quòd hoc animal ratione prędditũ, nempe homo, ſit aptum ad ſuſcipiendam intelligẽtiam & ſcientiam, fatẽtur ij etiam qui ſunt à noſtro ſermone alieni: nõ ſic definitione noſtram naturam deſcriptura, ſi videret iram & cupiditatem, & quæcunque ſunt eiuſmodi, ſimul fuiſſe indita in eſſentiam naturæ. Neque enim in vllo alio quis dederit ſubiecti definitionem, ſi commune dicat pro proprio. Quoniam ergo concupiſcendi vis & vis iraſcendi ex æquo cernitur in rationis experte & rationis participe natura, nõ rationi conuenienter ex communi proprium deſcripſeris & ei characterem tribueris. Quod autem ad naturæ deſcriptionem eſt ſuperuacaneum & reiiciẽdum, quomodo fieri poteſt vt tanquam pars naturæ ad conſtituendam valeat definitionem? Omnis enim definitio ſubſtantię intuetur ad id quod eſt proprium ſubiecti. Quidquid autem

tem fuerit extra id quod eſt proprium, deſpicitur tanquam alienum à definitione. Atqui operationem quæ fit ex ira & cupiditate, conſtat eſſe cõmunem cuiuſuis naturæ quæ caret ratione. Quidquid autem eſt commune, non eſt idem quod proprium. Per hęc ergo neceſſe eſt hęc nõ in iis eſſe reputari, in quibus humana natura præcipuè deſcribitur & efformatur: ſed quo modo cùm ſentiendi, nutriendi & augendi in nobis videris facultates, nõ per hęc ſolueris traditam animæ definitionem (nõ enim quoniam hoc eſt in anima, illud non eſt:) ita etiam cum ex ira & cupiditate cogitaueris naturæ noſtræ motus, definitioni non iure repugnaueris, vt quæ minùs quàm par ſit naturam indicauerit. GREG. Quid ergo de eo ſtatuere oportet, dixi magiſtræ? Sic enim poſſum videre, quòd quę ſunt in nobis, tanquam à natura noſtra aliena, abdicare oporteat. MAC. Vides, inquit, quòd eſt rationis aduerſùs hęc quędam pugna, & ſtudiũ, vt ab iis, quoad eius fieri poteſt, deſeratur anima? Et nonnullis quidem rectè ſucceſsit ſtudium: ſicut de Moſe audimus, eum ira & cupiditate fuiſſe ſuperiorem, vtrunque ſuo teſtimonio ei tribuente ſcri-

ptura:nempe quòd erat & omnium hominum mitiſsimus:iræ autem non eſſe obnoxium indicatur per manſuetudinem & ab ira alienationem:& quòd nihil eorum concupiit, in quibus multorum videmus exerceri cupiditatem. Quod quidem nõ fieret, ſi hęc eſſent natura, & reducerentur ad rationem eſſentiæ. Non poteſt enim fieri vt qui fuerit extra naturam, maneat in eſſentia. Atqui & in eſſentia erat Moſes, & in eis non erat. Aliud ergo ſunt hęc præter naturam,& non natura.Id enim verè eſt natura, in quo eſſentiæ ipſum eſſe compreheditur. In nobis autem ſita eſt ab iis alienatio,adeò vt non ſolùm naturæ nihil damni, ſed etiã lucrum afferat, ſi ea auferantur. Eſt ergo manifeſtum, quòd hęc ſunt ex iis quæ extrinſecus conſiderantur, vt quæ ſint affectiones naturæ nõ eſſentia. Nam illa quidẽ eſt id quod eſt. Sanguinis autẽ qui eſt circa cor natura feruida, ira multis eſſe videtur. Alius autẽ dicit eſſe deſyderiũ reddẽdæ moleſtiæ ei qui prior cœpit. Vt nos autẽ exiſtimamus,Ira eſt appetitio malè faciẽdi ei qui irritauit,quorũ nihil accidit definitioni animæ. Et ſi cupiditatẽ per ſe definierimus, dicemus eſſe eius quod deeſt deſyderiũ: aut deſyde-

Digitized by Google

deſyderium fruendæ voluptatis, aut moleſtiam propter id quod eſt iucundum quod non eſt in poteſtate, aut quandam ad id quod eſt iucundum habitudinem, qua non licet frui. Hæc enim omnia, & quæ ſunt huiuſmodi, oſtendunt quidem cupiditatem, animæ autem definitionem non attingũt. Quinetiam quæcunque alia cõſiderantur in anima, quæ cernuntur ſibi inuicem ex aduerſo oppoſita, vt timiditas & audacia, moleſtia & voluptas, metus & contemptio, & quæ ſunt huiuſmodi, quorum vnumquodque cognationem quidem habere videtur cum vi concupiſcendi vel vi iraſcendi. Propria autem definitione ſuam deſcribit naturam. Audacia enim & contemptio indicat euidentem quandam ſpeciem occaſionis vis iraſcendi. Eius autem diminutionem quandam & remiſsionem, quę ex timiditate & metu ineſt habitudo. Moleſtia autem habet ex vtriſque materiam. Iræ enim imbecillitas, & in iis vlciſcendis qui moleſtia priores affecerunt, impotentia fit moleſtia; & deſperatio eorum quæ deſiderantur, & priuatio eorum quę ſunt grata animo, hanc in cogitatione triſtem generat affectionẽ. Et id quod moleſtiæ ex aduerſo ſitum con-

ſideratur, morbus, inquam, qui ex voluptate oritur, ira & cupiditate ſimiliter diuiditur. Voluptas enim in vtroque horum ex æquo habet principatũ. Quæ quidem omnia & ſunt circa animam, & non ſunt anima, ſed veluti quædam verrucæ quæ enaſcuntur ex animæ parte cogitatrice, quæ eius quidem partes eſſe cenſentur, propterea quòd ſint ei aggregatæ, non ſunt tamen illud quod eſt anima ex eſſentia. GREG. Atqui videmus, aio virgini, ea viris bonis non parum conferre ad id quod eſt melius.
Dan.9. Nam & Danieli laudi fuit deſiderium, &
Nu. 25. Phinees ira Deum placauit, & initium ſapiē-
Pſalm. 105. tiæ timorem eſſe didicimus, & triſtitiæ quæ eſt ſecundùm Deum, ſalutem eſſe finem à
Prou.9. Paulo didicimus, eorúmque quæ ſunt gra-
2.Cor.7 uia ac terribilia contemptionem lege no-
Matth. 28. bis præcipit Euangelium. Dicit enim, Nolite timere. quod nihil eſt aliud quàm deſcriptio audaciæ. Quod quidem inter bona relatum fuit à ſapientia. Per hæc ergo oſtendit ſermo, ea non eſſe exiſtimãda animi affectiones ſeu perturbationes. Non enim ad ſe rectè gerendum ex virtute aſſumerentur animi affectiones. MAC. Magiſtra autem, Videor, inquit, ipſa dediſſe cauſam huius ra-
tionum

tionum confuſionis, vt quæ quod de eis dicebatur non diſtinxerim, vt contemplationi imponeretur ordo quidam conſequens. Nunc ergo, quoad eius fieri poterit, excogitabitur ordo quidam conſiderationi, vt per conſequentiam procedente cõtemplatione, eiuſmodi obiectiones locũ amplius non habeant. Dicimus enim contemplandi & diſcernendi & ea quæ ſunt ſpeculandi facultatem eſſe ei ſecundùm naturam propriam & accommodatam, & diuinæ gratiæ per hæc in ſe ſeruare imaginem. Nam & diuinum quodcunque eſt ſecundùm naturã, in his eſſe coniectat ratio, nempe in ſpeculando omnia & diſcernẽdo honeſto ab eo quod eſt deterius. Quæcunque autem ſita ſunt in confinio animæ, quæ ſecundùm ſuã naturam inclinantur & propendent ad vtrũque ex contrariis, & quorum qualis vſus vel ad id quod eſt honeſtum vel ad contrarium deducit exitum, cuiuſmodi eſt ira vel metus, vel ſi qua eſt eiuſmodi ex animę motionibus, ſine quibus conſiderari nequit humana natura, ea ipſi extrinſecus acceſsiſſe reputamus, propterea quòd in exemplari pulchritudine nullum eiuſmodi characterem inſpiciamus. Quæ autem de his habe-

tur oratio, nobis iam proponatur tanquam in exercitatione. Vt eorum qui ſycophanticè audiunt, inſultus & maledicta effugeret, via quadam & ordinis conſequentia ad hominis creationem Deum proceſsiſe diuina narrat ſcriptura. Poſtquàm enim conſtituta fuiſſet vniuerſitas, ſicut dicit hiſtoria,
Gene. 1. non ſtatim quidem fit homo in terra: ſed eum quidem præceſsit natura eorum quæ ſunt expertia rationis: illa autem præceſſerunt germina. Per hæc autem, vt arbitror, ſacra oſtendit ſcriptura, quòd vitalis facultas quadam conſequentia admiſcetur corporeæ naturæ, primùm quidē ea ſubiēs quę nullo ſenſu ſunt prædita, poſteà autē procedens ad id quod eſt ſenſu præditum, deinde aſcēdens ad id quod eſt intelligens & vtens vi rationis. Igitur ex iis quæ ſunt, aliud quidem eſt corporeum, aliud verò omnino intelligēs. Corporei autem aliud quidem eſt animatum, aliud verò inanimum. Animatum autem dico id quod eſt vitæ particeps. Ex animalibus autē alia quidem ſunt ſenſu prędita, alia verò ſenſu carēt. Rurſus eorum quæ ſunt ſenſu prædita, alia quidem habent facultatem rationis, alia verò ſunt rationis expertia. Quoniam ergo vitæ ſenſu prædita

Digitized by Google

ta,abſque materia minimè conſtiterit: nec intelligens quidē aliàs fuerit in corpore,niſi ſentiendo innaſcatur. ea de cauſa vltima narratur hominis conſtitutio, vt qui omnē vitalem ſpeciem complexus ſit,tam quæ cõſideratur in germinibus, quàm in iis quæ ſunt expertia rationis. Nam quòd alitur quidem & augetur, habet ex vita plantarũ. Licet enim in illis quoque tale quid videre, dùm & per radices attrahitur alimentum, & amandatur per fructus & folia. Quòd autem ſenſu regitur, habet ex iis quæ ſunt expertia rationis. Vis autē cogitādi & ratio, eſt impermixta & propria, & quę in hac natura per ſe cõſideratur. Sed rerũ neceſſariarũ veluti attractricē vim ad materialem vitã habet natura. Quæ cùm fuerit in nobis, dicitur appetitus. Hoc autem eſſe dicimus ex ſpecie vitæ plantarum. Nam in illis quoque licet videre veluti quaſdam appetitiones naturaliter operātes, dum & implentur eo quod eſt eis proprium & accommodatũ, & ad naturalē turgent emiſsionem. Sic etiã quęcunque ſunt propria naturę expertis rationis, ea admixta ſunt intelligēti animæ facultati: illorũ, inquã, ira: illorũ metus: illorũ alia omnia quæcunque in nobis contra nos

exercentur, præter rationem & cogitandi facultatem. Quod quidem ſolum noſtræ vitæ præcipuum, in ſe, vt dictum eſt, habet imitationem diuini characteris. Sed quoniã vt iam priùs dictum eſt, nõ aliàs fieri poteſt, vt in vita corporea inſit vis rationis, quàm ſi inſit per ſenſus: ſenſus autem priùs conſtitit in natura eorum quæ ſunt expertia rationis: neceſſariò per vnũ cum iis quæ ſunt ei coniuncta habet noſtra anima communionem. Hęc autem ſunt quæ cùm in nobis fiunt, dicuntur animi affectus, ſeu perturbationes: quæ humanæ vitæ, non ob eius aliquod malum, ſunt attributæ. Re vera enim rerum opifici malorũ cauſa adſcriberetur, ſi delictorum neceſsitas illinc eſſet iniecta in naturam. Cæterùm prout eis vtitur liberũ arbitrium, aut virtutis aut vitij inſtrumenta fiunt hi motus animi, ſicut ferrum voluntate artificis formatũ, eam accipit figuram quam vult animus eius qui fabricatur, vel enſis effectum, vel ruſticum aliquod inſtrumentum. Si ergo ratio quidem quæ naturę noſtrę res eſt præſtãtiſsima in ea quæ nobis extrinſecus ſunt inſerta principatum obtineat, ſicut etiam per ęnigma tradidit ſermo ſcripturæ, iubens imperare omnibus quæ ſunt

ſunt expertia rationis, nulla ex huiuſmodi motionibus in nobis operabitur ad vitij miniſterium: metu quidem pariente obedientiam, ira verò animi magnitudinem, timiditate autem cautionem, deſiderij autẽ impulſione diuinam voluptatem & in quã non cadit interitus nobis conciliante. Sin autẽ habenas dimiſerit ratio, & veluti quidam auriga in currum delapſus, ab ipſo retrò trahatur, illuc abductus quò fert rationis expers motus currui iunctorum animalium: tunc in animi morbum ac perturbationem conuertuntur appetitiones. Quod quidem licet videre etiam in beſtiis. Quoniam enim non regit ratio motum qui eis ineſt naturaliter, iracunda quidem animalia in ſe inuicem irruũt imperante ira. Quæ ſunt autem carnoſæ & robuſtæ, ad nihil boni fruuntur ſuis viribus, vt quæ propter egeſtatem rationis poſsideantur ab iis quę ſunt ratione prædita, cupiditatíſque & voluptatis operatio in nulla re præclara & excelſa verſatur, neque quidquam aliud eorũ quæ in eis cernuntur, ad id quod conducit, vlla ratione deducit. Ita etiam in nobis, ſi ea per rationem non deducãtur ad id quod oportet, ſed in mentem imperium obtineant a-

nimi perturbationes, homo tranſit ad id quod eſt expers rationis & intelligentiæ, ab eo quod eſt intelligens & diuinũ, impetu animi affectionũ effectus tanquã iumẽtum. GREG. Ego autem iis quę dicta fuerãt valdè affectus, Cuiuis quidem, inquã, qui ſapit, ſuffecerit quæ ſic nudè, & ſi non cõfirmata per conſequẽtiam, proceſsit oratio, vt rectè videatur habere, & à veritate minimè aberraſſe. Quoniam autem iis quidem qui in artificioſis exercitati ſunt demonſtrationibus videtur ſufficere ſyllogiſmus: nobis autem, omnibus quæ arte fiunt concluſionibus, fide conſtat eſſe dignius quod per ſacram apparet ſcripturę doctrinam: quærendum eſſe cẽſeo an iis quę dicta ſunt diuinitus inſpirata doctrina cõſentiat. MAC. Illa autẽ, Quis, inquit, cõtradixerit nõ eſſe in hoc ſolo ponendam veritatem, cui ex teſtimonio ſcripturę ineſt ſignaculũ? Si ergo ad hoc dogma defendendum oportet etiam aliquid aſſumi ex doctrina euangelica, non intempeſtiuum nobis fuerit contemplari parabolam
Mat.13 zizaniorum. Illic enim bonum ſemen ſeminauit Pater familiâs ſeu Dominus domus: nos autẽ domus omnino ſumus. Cùm autem dormientes homines obſeruaſſet inimicus

micus, in eo quod erat vtile ad nutrimentũ ſeminauit inutile, in medium frumenti immiſſo zizanio: ſimúlque germinarunt ſemina. Nõ poterat enim fieri vt quod cum ipſo frumento immiſſum erat ſemen, non cum illo germinaret. Prohibet autem miniſtris is qui præeſt agriculturæ, ne euellãt id quod eſt inutile, propterea quòd in radice cõtraria ſimul coaluerint, ne ſimul cum alieno euelleretur id quod eſt vtile. Tales enim animæ appetitiones per bona ſemina exiſtimamus ſcripturam indicare. Quorum vnũquodque ſi ſolum ad id quod eſt bonũ fuiſſet excultum, virtutis fructũ nobis omnino produxiſſet. Quoniam autẽ ſimul quoque cum eis fuit ſeminatum in eius quod bonũ eſt iudicio peccatum: & quod verè & ſolum ſecundùm ſuam naturam eſt bonum, per deceptionis germen quod ſimul creuit, eſt obſcuratum. Vis enim concupiſcendi, non ad id quod eſt natura bonum, cuius cauſa in nobis fuit ſeminatum, creuit & prodiit, ſed germen tranſtulit ad id quod eſt beluinum & expers rationis, egeſtate iudicij in eo quod eſt bonũ & honeſtum, ad hoc traducente impetum cupiditatis. Similiter iræ quoque ſemen non acuit ad animi magni-

Digitized by Google

tudinem, ſed armauit ad pugnam aduerſus eos qui ſunt eiuſdẽ generis, & vis dilectionis defecit ab iis quæ percipiuntur intelligentia, ad fruendũ ſenſilibus ſupra modum luxurians. Et itidem cætera eodem modo produxerũt deteriora germina pro melioribus. Ea de cauſa ſapiẽs Agricola ſinit germen quod in ſemine innatum eſt in eo eſſe, prouidens ne nos priuaremur melioribus, ſi cupiditas penitus euulſa eſſet cum inutili germine. Nam ſi hoc euenerit naturę, quid erit quod nos incitet vt coniungamur cœleſtibus? aut ablata dilectione, quónam modo Deo coniungemur? Ira autem extincta, quęnam arma habebimus aduerſus eum qui colluctatur? Adulterina ergo ſemina in nobis dimittit Agricola, non vt ſemper dominatum obtineant in ſementem pretioſiorem, ſed vt ipſa terra (ita enim tropicè cor nominat) per ſibi inſitam naturalem facultatem, quę eſt ratiocinatio, ex ſeminibus aliud quidem arefaciat, aliud autem reddat fertile & frugiferum. Quòd ſi hoc non factum fuerit, igni agriculturam reſeruat diſcernendam. Si quis ergo iis ritè vtatur, in ſua illa habens poteſtate, non autem ipſe redactus in illorum poteſtatem: non ſecus

ac Rex

ac Rex quiſpiam vtens magna manu adiutrice eorum quibus imperát, faciliùs rectè geret id quod ſtudet gerere ex virtute. Sin autem redactus in illorum fuerit poteſtatē, perinde ac ſi aliqui ſerui inſurrexerint aduerſùs Dominū, & in ſeruitutem arreptus ſit, ſeruili inſolentiæ puſillo & abiecto animo ſe ſubmittens, & ab eis ſit poſſeſſus quę ſubiuncta ſunt ei ſecundùm naturam: neceſſariò ad illa traducetur, ad quę ductorum eum vrget dominatus. Si hæc autem ita ſe habent, neque vitium neque virtutem hęc per ſe pronunciabimus: quę cùm ſint animę motus, eſt in poteſtate eorum qui vtuntur, ea vel bene habere vel ſecus: ſed quando fuerit quidem eis motus ad id quod eſt melius, ea effici laudum materiam, vt Danieli cupiditatem, & Phinees iram, & ei qui rectè luget triſtitiam. Sin autem ad id quod eſt deterius facta fuerit propenſio, tunc ea fieri & nominari perturbationes & ęgritudines animi. GREG. Ego autem, poſtquàm hęc diſſeruit, cùm ceſſans aliquantulum intermiſiſſet orationē, & mente apud me collegiſſem ea quę dicta fuerát, reuerſus ſum ad priorem orationis conſequentiā, in qua cōfirmabat fieri non poſſe vt anima diſſoluto

corpore eſſet in elementis: & hoc dixi magiſtræ. Vbi eſt illud vulgo iactatum nomen inferorum, quod & in vitæ conſuetudine, & in ſcripturis tam externis quàm noſtris circunfertur, in quod tanquàm in aliquod receptaculum omnes arbitrantur hinc migrare animas? Non enim elementa dixeris. MAC. Magiſtra autem, Eſt, inquit, euidens te ea quæ diximus non ſatis attẽdiſſe. Nam cùm dixi animæ tranſitum ab eo quod videtur ad id quod non cernitur, exiſtimabam nihil loci eſſe relictũ quæſtioni de inferis. Neque enim mihi videtur hoc nomẽ aliquid aliud tam in externis, quàm in ſacra ſcriptura ſignificare, in quo dicunt eſſe animas, quàm tranſitum ad id quod non apparet nec cernitur. ᾅδης, ἀειδής. GREG. Et quomodo, inquam, ſubterraneum locum quidam in eo dici putant, illúmque animas quaſi publico excipere diuerſorio, tanquam quoddã ſpatium capax eius naturæ, ab vniuerſa humana vita eas ad ſe attrahens? MAC. Sed nihilo magis, inquit magiſtra, lædetur dogma per hanc opinionem, ſi verum eſt quod à te dicitur. Eò enim quòd ſit ſibi cõtinuus & indiuulſus cœleſtis polus, qui ſuo orbe omnia cõtinet, & terra in medio & quæ ſunt

circa

circa eam conſiderentur, & omnium quæ in orbem vertũtur motus ſit circa id quod eſt firmum ac ſtabile, omnino, inquit, neceſſe eſt, vt quidquid ex elementis eſt in ſuperna parte terræ, id quoq; ſit ex aduerſo, cùm vna & eadem eſſentia totam eius magnitudinem in orbẽ ambiat. Et quo modo cùm ſol ortus eſt ſuper terram, vertitur eius vmbra ſub eo quod eſt ei ex aduerſo, cùm orbiculata figura non poſsit ſimul in orbe intercipi ambitu radij: ſed omnino neceſſariò in quamcunque terræ partem ſe ſol applicarit radiis, in centro aliquo ex orbe exiſtens, recta diametro in altero fine erũt tenebræ: & ſic aſsiduè curſu ſolis ex aduerſo rectę radij lineæ ſimul obeunt tenebræ: adeò vt ex æquo & ſubterraneus locus, & is qui eſt ſuper terram, ſit viciſsim in luce & in tenebris. ſic in aliis quoque omnibus eſt cõſentaneum, quidquid in noſtro terrę hemiſphærio cernitur, idem etiam in altero eſſe non dubitare. Cùm autem in vniuerſa terra ſit vnus & idem elementorum ambitus, neque contradicendum, neque ſuffragandum arbitror iis quæ de his obiiciuntur, quòd oporteat locum aliquem in terra eſſe deputatum ex corporibus exolutis animis.

Digitized by Google

Quandiu enim præcedens dogma non labefactat quę fit obiectio, nempe quòd poſt vitam quæ fuit in carne ſint animæ, de loco nihil noſtra pugnabit oratio, vt quę corporum tantum ſentiat proprium eſſe in loco ſitum: animam autem cùm ſit incorporea, nequaquam neceſſe habere ex ſua natura vt illis locis detineatur. GREG. Quid verò, dixi, ſi is qui cõtradicit, proferat Apoſtolum, qui dicit omnem rationalem cognitionem in vniuerſitatis reſtitutione intueri ad eum qui præeſt vniuerſitati: vbi etiã meminit quorundam infernorum, dicens
Cap.2. in Epiſtola ad Philippenſes, quòd omne genu ei flectetur cœleſtium, terreſtrium & infernorum. MAC. Permanebimus, inquit magiſtra, in dogmate, & hæc dicentes audiemus de eo quidem quòd ſit anima, cum etiam qui contradicit, habentes noſtræ ſuffragantem ſententiæ, de loco autem, ſicut priùs dictum eſt, non valde contendentes. GREG. Quid ergo, inquam, iis qui Apoſtoli ſenſum in hac voce inquirunt, quid, inquam, dicetur, ſi de loci ſignificatione moueant quæſtionem? MAC. Illa autem, Nõ mihi, inquit, videtur diuinus Apoſtolus ex loco intelligentem diſcernens eſſentiam, aliud

aliud quidem cœleſte, aliud verò terreſtre, aliud autem infernũ nominare. Sed quoniã naturæ rationis participis tres ſunt ſtatus, vnus quidẽ qui ab initio vitã ſortitus eſt incorporeã, quẽ nominamus Angelicũ. Alius verò carni cõiũctus, quẽ vocamus humanũ. & tertius qui à carne ſolutus eſt per mortẽ, qui cõſideratur in animis. Hãc rem profundo ſapientiæ intuentẽ diuinũ Apoſtolũ exiſtimo ſignificare conſenſum vniuerſæ rationis participis naturæ, quæ aliquando futura eſt in bonum, cœleſte quidem vocãtem, id quod eſt Angelicum & incorporeũ: terreſtre autem id quod eſt coniunctũ corpori: infernum autem id quod iam eſt ſeparatum à corpore. Si quæ autem etiam alia præter ea quæ dicta ſunt natura conſideratur inter ea quæ ſunt ratione prædita, quam vel dæmones, vel ſpiritus, vel aliquid aliud eiuſmodi velit quiſquã nominare, non diſſidebimus. Creditum eſt enim tam ex cõmuni opinione, quàm ex ſcripturarum traditione, eſſe quandam naturam extra eiuſmodi corpora, quæ bono aduerſatur, & vitam lædit humanã, quæ à meliori ſorte ſua ſponte defluxit, & à bono defectione in ſe ſuſcepit id quod ex contrario intelligitur.

Digitized by Google

Quam etiam dicunt aliqui annumerare Apoſtolum inter infernos, hoc illo dicto ſignificantem, quòd longis annorum curriculis vitio tandem deleto, nihil relinquetur extra bonũ: quinetiam illi quoque coniunctis ſententiis confitebuntur Chriſti dominationem. Cùm hæc ergo ita ſe habeãt, nemo nos coëgerit nomine terreſtrium intelligere locum ſubterraneum, aëre vndiquaque terræ ex æquo infuſo, ita vt nulla eius pars comprehendatur nuda ab ambitu aëris. GREG. Hæc cùm diſſeruiſſet magiſtra, & parum ſubſtitiſſem, Nondum ſatis, inquam, aſſequor quod quæritur, ſed in iis quæ dicta ſunt adhuc mihi dubitat animus: & rogo vt rurſus mihi reducatur oratio ad eandem conſequentiam, liberata quidem ab iis quæ ſunt iam conciliata. Exiſtimo enim eos qui non ſunt nimium pertinaces, per ea quæ dicta ſunt ſatis inducendos, ne animam poſt corporum diſſolutionem deducant ad interitum, perinde ac ſi nihil ſit amplius, neque aſſerant eam nullo modo poſſe eſſe inter ea quæ ſũt, propterea quòd ſit diuerſæ naturæ ab eſſentia elementorũ. Nam & ſi eis non conueniat intelligens natura & quæ non eſt materiæ particeps, quò

minùs

minùs ſint in eis non prohibetur, duplici ratione cõfirmata nobis hac opinione, nẽpe quòd & nũc in hac vita anima ſit in corporibus, ſitque aliquid aliud eſſentia præter corpus, & ex eo quòd ratio oſtenderit diuinam naturam, cùm ſit omnino aliquid aliud à ſentiẽte & materiæ participe eſſentia, eorum tamen quæ ſunt vnumquodque peruadere, & per ſuam cõtemperationem cum vniuerſitate, ea quæ ſunt continere in eſſentia: adeò vt per hæc ex conſequenti, ne animam quidem putemus extra ea quę ſunt, quæ migrauit à vita quæ in forma cõſpicitur, ad id quod forma caret ſeu nõ cernitur. GREG. Sed quomodo, aiebam, cùm elementorum vnio per eam quæ fit inter ſe inuicem mixtionem, aliquam acceperit formam, cum qua animæ interceſſit cõiunctio & familiaritas, poſtquàm diſſolutione elementorum, vt eſt conſentaneum, forma quoque fuerit deleta, quónam ſigno eam conſequetur poſtea anima, cùm quæ nota erat non permanſerit? MAC. Illa autẽ cùm parum ſubſtitiſſet, Concedatur mihi, inquit, poteſtas fingendi rationem pro exemplo, ad declarandum id quod eſt propoſitũ, etiam ſi ab eo quod fieri poteſt remotum

videatur id quod dicitur. Detur enim pictoris arte fieri poſſe, vt non ſolùm colores miſceat ex contrariis, vt conſueuerunt facere, ad formæ ſimilitudinẽ, ſed etiam quæ mixta ſunt diſcernere, & vnicuique colori rurſus reddere tincturam quæ eſt ſecũdùm naturam. Album ergo & nigrum, vel rubrũ aut fuluum, aut ſi qua alia tinctura cõmixta eſt ad ſimilitudinem eius quod priùs dictũ eſt, ſi rurſus fuerit ſeparata à mixtione cum altero & per ſe fuerit, nihilominùs cognoſci dicimus ab artifice ipſam coloris ſpeciẽ, & in eo nullam eſſe obliuionem neque rubri nec nigri, ſi cùm fuiſſent diuerſi coloris in ea quæ fuit inter ſe inuicẽ mixtione, rurſus redierint ad tincturam quæ eſt ſecundùm naturam. Recordantem autem quomodo colores inter ſe fuiſſent contemperati, ſcire quídnam in quónã cùm eſſet qualem effecerit colorem, & quemadmodum abluto altero ad ſuum rurſus redierit colorem. Et ſi rurſus per mixtionem oporteret ſimile facere, minùs laborioſa eſſet ei eius rei effectio, vt quæ in priori opere eſſet priùs exercitata. Si quid autem in exẽplo, inquit, conſequẽs habet oratio, ipſum iam propoſitum eſt nobis examinandum. Nam

pro

pro arte pingẽdi,anima proponatur. Et pro coloribus artis, animo cogitetur natura elementorum. Mixtio autem, variæ tincturæ eorum quæ ſunt diuerſorum colorum: & rurſus per hypotheſin datus eorum ad ſua reditus deſcribat coïtionem & ſeparationem elementorum. Quo modo ergo in exemplo dicimus artificem non ignorare tincturam coloris quę poſt mixtionem ad ſuum colorem rediit,ſed cognoſcere & rubrum & nigrũ, & ſi quid aliud, per qualem cum eo quod eſt diuerſi generis cõmunionem, effecit formam,quale quidem erat in mixtione,quale autem nunc eſt cùm rediit ad id quod eſt ſecũdùm naturam,quale autem rurſus erit, ſi ſimili modo inter ſe rurſus mixti fuerint colores: Ita elementorum quæ concurrerunt ad conſtitutionem corporis cui fuit inſerta,proprietatem naturalem noſſe animam etiam poſt eorum diſſolutionem, & licet ea procul à ſe inuicem abſtraxerit natura propter eas quę ipſis inſunt repugnantias, arcens vnumquodque eorum à mixtione cum contrario, nihilominus erit apud vnumquodque, cognoſcẽdi facultate id quod eſt ſibi proprium & accommodatũ attingens & iuxtà permanẽs,

donec eorum quæ ſunt diſiuncta eodẽ rurſus fuerit congreſſus, ad eius quod fuit diſſolutũ, vt ita dicam, reelementationẽ: quod quidẽ propriè reſurrectio & eſt & nominatur. GREG. Optimè mihi videris, inquã ego, in tranſitu defendiſſe reſurrectionem: poſſe enim per hæc ſenſim adduci eos qui fidei repugnant, non eſſe ex iis quæ fieri nõ poſſunt, vt rurſus inter ſe conueniant elementa, & eundem hominẽ efficiant. MAC. Certè, inquit magiſtra, hoc verum dicis. Licet enim audire eos qui repugnant ei quod à nobis dicitur de reſurrectione, dicentes, Si in vniuerſitatem & id quod eſt eiuſdem generis elementorum fiat reſolutio: quónam pacto fieri poteſt, vt quod eſt hîc calidum, ſi fuerit in vniuerſo, non mixtum cum eo quod eſt eiuſdem generis, rurſus ſecernatur ad hoc vt cõſtituatur homo qui refingitur? Si enim nõ fuerit planè reuerſum propriũ, ex eo autem quod eſt eiuſdem generis pro proprio fuerit aliquid aſſumptum: fiet alterum pro altero, nec fuerit vtique id quod eſt eiuſmodi reſurrectio, ſed noui hominis creatio. Si autem oportet eundem ad ſeipſum rurſus redire, oportet eundem ſibi eſſe omnino eundem, vt qui omnibus elementorum

torũ partibus eandem rurſus acceperit naturam quam habebat ab initio. GREG. Suffecerit ergo, inquam, nobis ad hanc obiectionem ita de anima exiſtimare, quòd quibus ab initio inſerta fuit elementis, in eis permaneat etiam poſt diſſolutionem, veluti cuſtos rerum ſuarum, & in contemperatione cum eo quod eſt eiuſdem generis nõ ignorans proprium, & in ſubtilitate & mobilitate intelligentis facultatis, nullum errorem patiens in tenuitate partium elementorum: ſed ſimul ſubeat propria admixta cũ iis quæ ſunt eiuſdem generis: & non defatigetur ſimul cum eis tranſiens, quando diffunduntur in vniuerſitatem, ſed in eis maneat, vbicunque & quomodocunque ea natura parauerit. Si autem à poteſtate quę adminiſtrat vniuerſitatem, iis quæ ſunt diſſoluta rurſus concedatur vt cõueniant: quo modo ſi vni initio diuerſi funes appẽſi fuerint, ſimul & eodem tempore ſequuntur omnes cum eo quod attrahitur: ita vna animæ facultate, elementorum tracta diuerſitate, repentè iis quę ſunt propria concurrentibus, per animam contexetur catena noſtri corporis, vnoquoque conuenienter contexto cum antiquo ſuo & familiari, &

ſibi notum amplectente. MAC. Quinetiã hoc quoque exẽplum, inquit magiſtra, meritò adiungi poteſt iis quæ ſunt examinata, ad probandum animæ non eſſe admodum difficile in elementis diſcernere proprium ab alieno. Proponatur enim per hypotheſin lutum figulo. Id autem concedatur eſſe multum, cuius pars quidem ſit efficta ad vaſorum effectionem, pars autem ſit effingenda. Vaſa autem omnia nequaquam inter ſe ſimilem figurã acceperint, ſed ſit aliud quidem dolium, aliud verò amphora, aliud verò diſcus vel catinus, aut aliquid ex iis quæ ſunt apta ad vſum. Hæc autem omnia non vnus poſsideat, ſed ſeorſum vniuſcuiuſque dominus ponatur oratione. Donec ergo conſtiterint, manifeſta ſunt iis qui ea habẽt: & ſi rurſus fuerint cõtrita, nihilominùs etiã ex fragmentis nota erunt poſſeſſoribus, quódnam ſit fruſtum dolij, quódnam poculi. Quòd ſi etiam commixta fuerint cum luto nondum elaborato, longè certiùs diſcernentur ab illo ea quæ iam ſunt effecta. Sic veluti vas quoddam ſint ſinguli homines, ex cõiunctione elementorũ effecti ex communi materia, in propria omnino figura multum differẽtes ab eo quod eſt eiuſdem generis.

generis. Qua diſſoluta, nihilominùs quæ vas poſsidet anima, etiam ex reliquiis agnoſcit proprium: neque ſi poſita fuerint fragmenta, neque ſi commixta cum illaborata elementorum materia, diſcedens, ſed ſemper ſuum cognoſcens, & quale eſſet cùm in figura conſiſteret, & poſt diſſolutionem, ex ſignis quæ manſerunt in reliquiis, non errãs circa proprium. GREG. Cùm hæc quæ dicta fuerant admiſiſſem, vt propoſito ſcopo appoſitè & conuenienter inuenta, Hęc quidem, inquam, rectè habet ſic dici & credi. Si quis autem quod in Euangelio à Domino narratum eſt de iis qui ſunt apud inferos, aduerſùs ea quæ dicta ſunt afferat, tanquam non conueniens iis quæ ſunt examinata, quomodo paranda eſt reſponſio? MAC. Illa autem, corporalius quidem, inquit, narrationem exponit ſermo, multa autem inſpergit per quæ datur occaſio, vt qui audiens rem examinat, ad ſubtiliorem prouocetur contemplationem. Qui enim vaſto hiatu arcet malum à meliori, & gutta aliqua digito inſtillanda egentem facit eum qui angitur, & ei qui per hanc vitam malis fuerat affectus, Patriarchę ſinum ſuppoſuit ad quietem, ante hęc autem narrauit eos eſ

ſe mortuos & mandatos ſepulturæ, non parum abducit ab ea quæ eſt in promptu intelligentia, eum qui ſapienter quæ dicuntur aſſequitur. Quóſnam enim apud inferos oculos attollit diues, qui carnis oculos dimiſerat in ſepulchro? Quomodo autem flammam ſentit incorporeum? Quámnam autẽ linguam per guttam cupit refrigerari, cùm non adſit ei carnea? Quíſnam autem digitus ei ſtillam afferens? Ipſe autẽ ſinus quietis quíſnam eſt? Cùm enim corpora ſint in ſepulchris, anima autem neque ſit in corpore, nec conſtet ex partibus, non fuerit expeditum cõtextum orationis accommodare veritati ſi ſpectetur id quod in promptu intelligitur: niſi quis ſingula traduxerit ad intelligentem cõtemplationẽ, adeò vt vaſtus hiatus qui arcet cõiunctionem eorũ quę nõ poſſunt miſceri, nõ putetur eſſe ſpatiũ terræ. Incorporeo enim & intelligẽti quíſnam labor eſſet peruolare hiatũ quanuis maximum: quoniã id quod eſt natura intelligẽs, eſt vbi vult abſque tempore? GREG. Quídnam ergo, inquam, erat ignis, aut hiatus, aut reliqua ex iis quę dicta ſunt, ſi non ſunt ea quę dicuntur? MAC. Mihi videtur, inquit, Euangelium, per vnumquodque horum

rum ſignificare quędam dogmata de iis quę dicuntur de anima. Nam cùm diuiti priùs dixiſſet Patriarcha, Recepiſti partem tuam bonorum vita quam egiſti per carnem: & de mendico itidem dixiſſet, eum impleſſe in vita munus malorum participationis, deinde ſic ſubiungeret de vaſto illo hiatu quo à ſe inuicem diſiungũtur, videtur magnum quoddam dogma per hæc oſtendere oratione. Dogma autem, mea quidem ſententia, eſt huiuſmodi. Vniformis ab initio erat vita hominum. Vniformem autem dico, quæ in ſolo bono conſiderabatur, & nõ erat malo commixta. Ei autem quod dico prima Dei lex fert teſtimonium, quæ omnium quidem bonorum quę erant in Paradiſo homini copioſam dedit participationem, ab illo ſolo arcens cui erat commixta natura contrariorum, nempe à malo cum bono contemperato, ei autem qui contra legem feciſſet pœnam mortem imponens. Sed homo ſua ſponte motu ſui liberi arbitrij, relicta ſorte quę nõ erat mixta deteriori, ad ſe attraxit vitam contemperatam ex contrariis. Nec tamen noſtri conſilij inopiã incorrectam reliquit diuina prouidentia. Sed quoniã eos qui legem erãt tranſgreſsi, *Gene. 2.*

mors cuius ea de cauſa lata erat ſententia, neceſſariò eſt conſecuta, bifariam humanā vitam partitus, nempe & in hanc quæ cum carne agitur, & in eam quæ poſt hanc extra corpus, non pari ſpatio dimenſus, ſed illam quidem breuiſsimo temporis termino circunſcribens, hanc autem extēdens in æternum, ſua benignitate dedit poteſtatem in qua earum velit vtrunque habēdi, bonum inquam & malum, aut in hac & quæ citò tranſit vita, aut in illis quæ nunquam deſinūt ſæculis, quorum finis eſt infinitas. Cùm autem æquiuocè dicatur bonum & malū, & vtrunque eorum diuidatur duplici notione, mēte inquam & ſenſu: & alij quidem id inter bona iudicent quod ſoli ſenſui viſum fuerit iucundum: alij autem id ſolum quod cogitatione conſideratur & intelligētia, credant bonum eſſe & nominari: ij quidem quibus non eſt exercitata ratio, nec cōſiderans id quod eſt melius ac præſtantius, boni ſortem quæ naturę debetur, præ ingluuie conſumunt in hac vita carnali, in futuram vitam nihil reſeruantes. Qui autem diſcernendi vi prædita ac moderata ratione vitam ſuam adminiſtrant, in hac breui vita per ea quæ ſenſui ſunt moleſta dolore affe-

cti, in futurum ſæculum bonum reſeruant, adeò vt eis cum æterna vita ſors melior extendatur. Hic eſt ergo, vt ego quidem ſentio, hiatus, quem non facit terra dehiſcens, ſed in vita iudicium diſſectum cõtrariis inſtitutis. Qui enim ſemel voluptatem in hac vita elegerit, & inopiam conſilij pœnitentia nõ curauerit, efficit vt ad locum bonorum ſibi poſteà non pateat aditus, vt qui hanc quæ tranſmitti non poteſt neceſsitatem, tanquam vaſtum quoddam & quod ambiri non poteſt barathrum contra ſe foderit. Quocirca mihi videtur bonum quoque animæ ſtatum, in quo tolerantię athletam quieſcere facit ſermo, nominare ſinum Abrahæ. Primus enim hic Patriarcha corũ qui vnquam fuerunt, narratur vſum bonorum præſentium commutaſſe ſpe futurorũ: vt qui nudatus omnibus in quibus erat ei vita ab initio, in alienis vitam egerit, per præſentem afflictionem & malorum perpeſsionẽ, felicitatem quæ ſperatur comparans. Quo modo ergo quandam pelagi circũſcriptionem ex abuſione quadam ſinum nominamus, ita mihi videtur immenſorum illorum bonorum indicationem ſignificare ſermo ſinus nomine, quo omnes qui per

virtutem præſentis vitæ mare nauigant, quando hinc ſoluerint, tanquam in portu qui non agitatur fluctibus in bono ſinu collocant animas. Cęteris autem apparentium bonorum priuatio fit flamma animam continens, quæ gutta aliqua ex pelago bonorũ quæ ſanctos inundant, indiget ad conſolationem, nec eam aſſequitur. Linguam autem & oculum & digitum, & cætera ex nominibus corporalibus, in ratione incorporeorum intuens, ei quod ex cõiectura à nobis eſt excogitatum de anima conuenire fateberis, ſi ſenſum verborũ inſpexeris. Quo modo enim concurſio elementorum totius corporis conſtituit eſſentiam: ita etiam conſentaneũ eſt partium quoque quæ ſunt in corpore naturam compleri ex eadem eſſentia. Si ergo adeſt anima elementis quæ ex corpore refuſa ſunt in vniuerſitate, non ſolùm cognoſcet complementum eorum quæ conuenerunt ad totum compoſitum, & in eis erit, ſed nec ignorabit propriam ſingularum partium cõſtitutionem, per quáſnam particulas ex iis quæ ſunt in elementis effecta ſunt membra quæ ſunt in nobis. Eá ergo quæ eſt in vniuerſo complemento elementorum, etiam eſſe in ſingulis nequaquam

quam eſt alienum à veri ſimilitudine. Et ſic ad elementa aſpiciens quiſpiam, quibus inſunt poteſtate ſingula membra corporis, digitum circa eam eſſe, & oculum, & linguã, & alia omnia poſt compoſiti diſſolutionem ſcripturam dicere exiſtimãs, à veriſimili minimè aberrabit. Si ergo ſingula mentẽ abducunt à corporali intelligẽtia eius quod narratum eſt, cõſentaneum eſt inferos quoque quorũ nunc facta eſt mẽtio, non putare locum aliquem qui ſic nominetur, ſed quendam vitę ſtatum formæ expertem & incorporeum, in quo docemur à ſcriptura animam vitam agere. Quinetiã aliud quoque dogma diſcimus in narratione de diuite & mendico, quod magnam habebit conuenientiam cum iis quæ ſunt examinata. Fecit vitioſum illum & carnis amantem, poſtquã vidit ineuitabilem ſuam calamitatem, curã gerere eorum qui ſuper terram genere ad eum attinebant. Et cùm dixiſſet Abraham non eſſe prouidentiæ expertem eorum qui in carne viuunt vitam, ſed ſatis ſupérque eſſe eis propoſitam quę à lege fit & à Prophetis deductionem, adhuc perſeuerare obſecrantem diuitem, vt ex inopinato eis probabilis fiat prædicatio, annũciata ab aliquo

ex mortuis qui reuixiſſet. GREG. Quod ergo, inquã, eſt in his dogma? MAC. Quoniam, inquit, Lazari quidem vita in iis quæ ſunt præſentia eſt occupata, & ad nihil eorũ quæ ſunt relicta ſe conuertit: Diues autem tanquam viſco aliquo, carnali vitæ etiam poſt mortem adhuc adhæret, quam ne cùm viuere quidem deſierit omnino exuit, ſed adhuc ei curæ eſt caro & ſanguis. Ex eo enim quòd eos qui ſunt ei coniuncti neceſsitudine generis rogat à malis eximi, apertè oſtendit ſe nondum eſſe exolutum ab affectione carnali. Ex his, inquit, narrationibus exiſtimamus Dominum hoc decernere, oportere eos qui in carne viuunt, per vitam ex virtute actam, quantum fieri poterit ſeparari & diſſolui ab ea quæ eſt cum ipſa habitudine, ne poſt mortem alia rurſus morte opus habeamus, quæ glutini carnalis expurget reliquias, ſed veluti ruptis animæ vinculis, leuis ei & expeditus fiat ad bonum curſus, nulla corporali ægritudine eam ad ſe attrahẽte. Quòd ſi quis totus in omnibus cogitatione ſit effectus carnalis, omni motu animæ & operatione verſans in carnis voluntatibus, is nec cùm à carne quidem fuerit exemptus, ſeparatur ab eius affectionibus:

bus: ſed quo modo qui in locis fœtidis diutius ſunt morati, nec ſi ad bene ſpirantem quidem aërem tranſierint, puri ſunt à tetro odore, quem per diuturniorem in eo morã contraxerunt: ita nec ad formæ expertem & quæ nõ cernitur vitam facta mutatione, fieri poterit vt carnis amantes non aliquid omnino attrahãt carnalis fœtoris. Quò fit vt dolor eis magis ingraueſcat, ex hac circunſtantia materiæ participe magis affecta anima. Huic autem opinioni videtur quodammodo conuenire, quòd dicatur ab aliquibus ſæpe videri circa ſepulchra corporũ, vmbræ ſimilia quædam ſpectra mortuorũ. Si enim reuera ita fit, nunc conuincitur animæ quæ fuit ſupra modum in vitam carnalem affectio: adeò vt ne à carne quidem extruſa, velit purè ab ea auolare neque concedere vt fiat perfecta figuræ tranſlatio ad id quod eſt formæ expers & non cernitur: ſed adhuc manere in forma poſtquàm forma fuit ſoluta, & cùm iam ſit extra eam, deſiderio errare in locis materiæ & circa ea verſari. GREG. Ego autem cùm parum ſubſtitiſſem, & eorum quæ dicta fuerãt ſenſum repetiiſſem, Videtur mihi, inquam, iis quæ priùs ſunt examinata de animi pertur-

Digitized by Google

bationibus, ex iis quę dicta ſunt exoriri quędam repugnantia. Si enim ex ea quæ intercedit cũ brutis cognatione exiſtimati ſunt eiuſmodi animi motus in nobis operari quos priùs enumeraſti, nempe ira & metus, & voluptas & cupiditas, & quæ ſunt huiuſmodi, & eorũ quidem bonus vſus eſſe virtus: non rectus autem, vitium: à te autem adiectum eſt, & aliorum vnũquodque conferre ad virtutem, & quòd per cupiditatem ad Deum erigimur, veluti quadam catena ſupernè ad eum tracti: videtur, inquã, quodammodo ſcopo repugnare oratio. MAC. Quomodo hoc dicis? GREG. Quoniam, inquam, cùm omnis motus à ratione alięnus poſt purgationẽ in nobis ſit extinctus, nec omnino quidem erit facultas concupiſcendi. Ea autem ſi non ſit, nec erit quidem deſiderium eius quod eſt melius, nulla eiuſmodi motione relicta in anima, quæ ad meliorem ſortem, bonorum, inquam, excitet. MAC. Sed ad hoc, inquit, illud dicim⁹, quòd vis contemplandi & diſcernẽdi eſt propria animæ quæ eſt Dei ſimilis. Deum enim his comprehendimus. Siue ergo vel ea quę nũc adhibetur diligentia, vel quæ fit poſteà purgatione, fuerit nobis liberata anima ab af-

fectionum

fectionum animi coaleſcẽtia quæ nobis intercedit cum beſtiis, à boni contemplatione minimè impedietur. Malũ autem ex ſua natura eſt præditum vi attrahẽdi quidquid ad illud aſpicit. Si ergo ab omni vitio pura fuerit anima, omnino fuerit in pulchro. Pulcher autem eſt Deus ſua natura, cũ quo per puritatem habebit coniunctionem, copulata ei quod eſt proprium & accõmodatum. Si hoc ergo factum fuerit, nõ erit opus amplius motu cupiditatis quæ deducat ad pulchrum. Qui enim degit in tenebris, is lucem concupiſcet. Sed ſi fuerit in luce, poſt cupiditatem ſuccedet quòd fruetur. Fruendi autem poteſtas, otioſam & inanem reddit cupiditatem. Nihil ergo per hæc detrimenti afferetur in boni participatione, ſi anima fuerit libera ab eiuſmodi motibus, ad ſe rurſus reuerſa, & ſe perfectè intuens qualíſnam ſit natura, & tanquam in ſpeculo & imagine per ſuam pulchritudinem aſpiciens ad exemplar. Verè enim in hoc licet dicere eius perfectam Deo aſsimulationem, quòd noſtra anima quodãmodo imitetur eſſentiam ſupereminentem. Natura enim quæ omnem ſuperat intelligentiam, locata procul ab iis quæ in nobis conſiderantur, alio

Digitized by Google

quodam modo ſuam vitam traducit, & non ſicut nos ſumus in eo quod eſt viuere. Nam homines quidem, propterea quòd natura ſit omnino ſemper in motu, quocunque nos impulerit impetus liberi arbitrij, eò ferimur, non ſimiliter affecta anima à parte ſui, vt ita dixerim, anteriore, & à poſteriore. Nam ſpes quidem dux eſt motus qui fit anterius. Memoria autem ſuccedit ſpei quæ præcedit motum. Sed ſi ſpes quidē ducit animam ad id quod eſt natura pulchrum, iucundum memoriæ veſtigium imprimit motus liberi arbitrij. Sin autem falſa ſit, vt quæ non ſit aſſecuta id quod eſt melius, quòd ſpes imagine quadam pulchritudinis deceperit animam: quæ ea quæ fiunt ſequitur memoria, fit pudor. Et ſic externum hoc bellum conflatur in anima, cum ſpe pugnante memoria, vt pote quòd malè duxerit liberum arbitrium. Quandam enim eiuſmodi intelligentiam apertè interpretatur pudoris affectio, quando ex eo quod euenit mordetur anima, veluti quodam flagello, tacta pœnitentia appetitionis inuoluntariæ, & ad ferendum auxilium aduerſùs id quod malè eum habet attrahit obliuionem. Sed nobis quidem, propterea quòd

quòd ſit pauper boni natura, ſemper conſiſtit in eo quod eſt egenum: & eius quod deeſt deſideriũ, eſt ipſa noſtræ naturæ cõcupiſcendi affectio, quæ vel ob intẽperantiam fruſtratur eo quod eſt verè pulchrum, vel etiam aſſequitur id quod non oportebat bonum. Natura autem quæ ſuperemi- net omnem bonam notionem, & eſt quauis facultate ſuperior, vt quæ nullo indigeat eorum quæ intelliguntur ad bonum pertinere, vt quæ ſit ipſa plenitudo bonorum, nec ſit in pulchro per alicuius pulchri participationem, ſed ſit ipſa pulchri natura, quodcunque pulchrum eſſe mẽs ponit: neque ſperandi motum in ſe ſuſcipit. Ad id enim quod non adeſt ſpes ſolùm operatur. Quod enim habet quis, quid ſperat, inquit Apoſtolus? Neque memoriæ operatione indiget ad eorum quæ ſunt ſcientiã. Quod enim aſpicitur, non opus habet vt memoriæ mandetur. Quoniam ergo omne bonũ ſuperat diuina natura: bonum autem eſt omnino bono amicum, propterea ſeipſam aſpiciens & vult quod habet, & habet quod vult, nihil eorum quæ ſunt extrinſecus in ſeipſam ſuſcipiens. Extra eam autem nihil fuerit, niſi ſolum vitium: quod quidem, etiã *Rom.8.*

ſi ſit dictu admirabile & prçter opinionem, in eo quòd non ſit ſuam habet eſſentiam. Non eſt enim vlla alia vitij generatio, niſi eius quod eſt priuatio. Quod autem propriè eſt, eſt boni natura. Si ergo non eſt in eo quod eſt, eſt omnino in eo quòd nō ſit. Poſtquàm ergo anima naturæ varias amolita motiones, Dei ſimilis facta, & ſuperata cupiditate, in illo fuerit ad quod à cupiditate tunc excitabatur, non ampliùs dat in ſe locum, neque ſpei, neque memoriæ. Nam quòd ſperabatur quidem habet: in fruẽdis autem bonis attenta occupatio, à cogitatione expellit memoriam: & ſic vitã imitatur ſupereminentem, diuinæ naturæ informata proprietatibus, adeò vt ex aliis nihil ſit ei reliquum, præter diligendi affectionẽ, quæ pulchro adnaſcitur & adhçreſcit naturaliter. Hoc eſt enim dilectio, intrinſeca affectio ad id quod eſt gratum animo. Quãdo ergo ſimplex & vniformis & Deo planè ſimilis effecta anima, inuenerit illud bonum quod verè eſt ſimplex & materiæ expers, quod re vera ſolum eſt diligendum & amabile, ei adhæreſcit & cum eo contemperatur per diligendi motionem & operationem, ei quod ſemper comprehenditur

tur & inuenitur ſe conformans, & id facta per boni ſimilitudinem quod eſt natura eius quod participatur. Cùm in illo autem non ſit cupiditas, propterea quòd in eo ſit nullius boni indigentia, conſequens fuerit vt anima quoq; cùm fuerit in eo quod non indiget, concupiſcendi motionem & affectionem ex ſe expellat, quæ tunc ſolùm exiſtit, quãdo non adeſt id quod deſideratur. Huius autem dogmatis nobis quoque dux fuit diuinus Apoſtolus qui omnium quorum nũc ſtudio tenemur etiam ad id quod eſt melius, prænuntiauit futuram quandam ceſſationem & compreſsionem: ſolius autem charitatis non inuenit terminum: Prophetiæ, inquit, otioſæ fient, & linguæ ceſſabunt: Charitas autem nunquam excidit. Quod quidem idem eſt ac, ſimiliter ſe habet. Sed & fidem & ſpem dicens ſimul manſiſſe cũ charitate, ipſam rurſus eis ponit ſuperiorẽ, idque meritò. Spes enim eò vſque mouetur, donec non licet frui iis quæ ſperantur. Et fides ſimiliter eſt fulcrum ac ſuſtentaculum incertitudinis eorum quæ ſperantur. Nam ipſam quoque ſic definiit, dicens: Eſt autem fides baſis ac fundamẽtum eorum quę ſperantur. Poſtquàm autem ve-

1. Cor. 14.

Heb. 11.

nerit id quod ſperatur, aliis omnibus quieſcentibus manet ea quæ fit ex dilectione operatio, non inueniens quod ei ſuccedat. Et ideò primas partes tenet inter omnia quæ geruntur ex virtute, & præcepta legis. Si quando ergo ad hunc finem peruenerit anima, non indigebit aliis, vt quæ vniuerſorum apprehenderit plenitudinem. Et mihi videtur ipſa ſola in ſe ſeruare characterẽ diuinæ beatitudinis. Supernæ enim naturæ vita eſt dilectio, quoniam pulchrum eſt omnino amabile iis qui cognoſcunt. Deus autem ſeipſum cognoſcit. Cognitio autem fit dilectio, quoniã pulchrum eſt natura quod cognoſcitur. Verũ autem bonũ nõ attingit inſolens ſatietas. Satietate autẽ non interrumpente diligendi ad pulchrum habitudinem, ſemper diuina vita per dilectionẽ operabitur, quæ & eſt pulchra ſecundũ naturã, & à natura habet quod bonũ diligat: & habet terminum operationis quæ eſt ex dilectione: quandoquidem nec pulchri finis aliquis cõprehenditur, vt ſimul cũ fine pulchri deſinat dilectio: cõtrario enim ſolo pulchrũ finitur. Cuius autẽ natura ſuſcipere nõ poteſt id quod eſt deterius, id ad bonũ infinitũ & interminatũ procedet. Quoniã ergo omnis

Digitized by Google

omnis natura habet vim attrahẽdi quę ſunt ſibi propria & conuenientia: homo autẽ eſt Deo quodammodo proprius & cõueniens, vt qui in ſe exemplaris expreſſam ferat ſimilitudinem: neceſſariò omnino trahitur anima ad id quod eſt diuinum & cognatum. Oportet enim ſemper & omnino Deo ſeruari proprium. Cæterùm ſi fuerit quidem leuis & expedita, nullo eam premente corporeo pondere, iucundus & facilis ei fit acceſſus ad eum qui attrahit. Sin autem confixa fuerit clauis affectionis per habitudinem ad ea quæ ſunt materialia, cuiuſmodi quidpiam veriſimile eſt euenire in ruinis terræmotuum, corporibus oppreſsis aggeribus. Ponatur autem per hypotheſin ea non ſolùm fuiſſe grauata ruinis, ſed etiam tranſfixa eſſe aliquibus verubus aut lignis inuentis in aggere. Quod ergo conſentaneum eſt paſſa eſſe ſic affecta corpora, tracta à neceſſariis vt eis iuſta fiant. Omnino enim laniabuntur & diſcerpentur, & quiduis grauiſsimum patientur, aggere & clauis per eos qui attrahunt ipſa laniantibus. Eiuſmodi quidpiam mihi videtur etiam accidere animæ, quando diuina poteſtas ob benignitatem ex rationis expertibus & materiæ

Digitized by Google

participipibus ruinis propriū attraxerit. Neque enim odio habens, neque propter vitam vlciſcens, vt ego quidem ſentio, eos qui peccarunt malè afficit, qui vendicat & ad ſe attrahit quicquid eius gratia venit ad generationē. Sed ille quidem meliori ſcopo ad ſe qui eſt fons beatitudinis attrahit animam. accidit autem neceſſariò ei quod attrahitur, dolorem afferēs affectio. Et quo modo auro immixtam materiam qui igne expurgant, nō ſolùm igne liquant id quod eſt adulterinū: ſed neceſſariò omnino cum adulterino liquefit etiam id quod eſt purū, & illo conſumpto hoc manet. Ita etiam vitio igne purgante conſumpto, omnino neceſſe eſt vt ei quoq; vnita anima ſit in igne, donec quicquid eſt adulterinum & materiæ particeps ei inſperſum, igne fuerit conſumptum. Et quo modo ſi alicui funi lutum glutinoſius altè fuerit illitum: deinde per anguſtum aliquod ſpatium funis tranſierit initium, & per vim quis introrſum ab extremo funē trahat, omnino neceſſe eſt vt illa quidem ſequatur eum qui attrahit: illitum autem lutum, ex violenta attractione maneat extra foramen è fune eraſum, & ſit ei cauſa quo minùs in tranſitu rectà feliciter pergat,

ſed

ſed ab eo qui attrahit violentam patiatur extẽſionem. Tale quid mihi videtur etiam de anima cogitandum, eam terrenis & materialibus inuolútam affectionibus, laborare & extendi, Deo quidem ad ſe attrahente proprium, alieno autem, propterea quòd ei quodammodo coaluerit, per vim eraſo, eíque acres & intolerabiles afferente dolores. GREG. Igitur non diuinum, inquam, iudiciũ, vt videtur, principaliter infert ſupplicium iis qui peccauerunt: ſed id quidem, vt oſtenſum eſt, operatur, bonum ſolùm à malo ſecernens, & ad beatitudinis communionem attrahens. Coaleſcentiæ autem diuulſio, dolorem affert ei quod attrahitur. MAC. Hæc, inquit magiſtra, mea eſt ſententia, & quòd modus doloris eſt vitij quod eſt in vnoquoque quantitas. Non eſt enim conſentaneum, vt qui nefaria & prohibita mala admiſerit, & qui in mediocria quædam delicta inciderit, ex æquo crucietur in purgatione mali habitus, ſed conuenienter quantitati materiæ, aut maior aut minor accendetur flamma illa quæ affert dolorem, donec ſit quod eam alat. Cui ergo multum eſt fœni materialis, neceſſe eſt maiorem & copioſiorẽ in eo eſſe flã-

mam quæ conſumat. Cui autẽ minus ignis admixtum eſt qui conſumat , tantum decedit ſupplicio de vehementiori & acriori operatione, quanto menſura vitij minus eſt ſubiectum. Oportet enim omnino & omni ex parte aliquando tolli malum ex eo quod eſt, &, vt ſuperiùs dictum eſt, id quod nõ eſt in eo quod eſt, ne eſſe quidem omnino. Quoniam enim extra liberum arbitrium vitium non habet naturam, quando vniuerſum liberum arbitrium in Deo fuerit, eò traducetur vitium vt deleatur penitus, quòd eius nullum relictum ſit elemẽtum. GREG. Sed quidnam ex hac bona ſpe lucrifaciet, inquam ego, is qui reputat quãtum ſit malum, vel annuum ſolum dolorẽ ſuſtinere? Si autem in æternũ aliquod ſpatium extẽſus fuerit dolor ille intolerabilis, quódnam ex ſpe quæ eſt in poſterum relictum eſt ſolatium ei cui æternitas metitur ſupplicium? MAC. Cui quidem eſſet prouidendum vt omnino à vitij inquinamentis integram & illæſam conſeruaret animã, id ab eo planè fieri non poſſet, propterea quòd natura noſtra ſit obnoxia animi perturbationibus. Maximè autem prouidendũ eſt, vt in mediocribus & curatu facilibus

quibuſ-

quibuſdam à virtute recedamus. Nouit e-
nim doctrina Euangelica & quendam debi *Mat.18*
torem decies mille talentorum, & quingen
torum denariorum, & quinquaginta & v-
nius quadrantis, qui quidem eſt vltimus
nummus vnus: iuſtum autem Dei iudicium
per omnia tranſire, & cum grauitate debiti
ſimul extendere neceſsitatem exactionis,
& nec ea quidem quę ſunt minima deſpice-
re. Debitorum autem redditionem dixit
Euangelium nō fieri ex ſolutione pecunię,
ſed debitorem tradi tortoribus, donec red-
diderit, inquit, quidquid debetur. Quod
quidem nihil eſt aliud quàm per tormenti
debita neceſſaria exoluere debitum rerum
moleſtarum participationis quarum in vi-
ta fuit debitor, vt qui meram & contrario
non temperatam voluptatem elegerit ob
inopiam conſilij. Vt cùm ſic id quod à ſe eſt
alienum depoſuerit quod eſt peccatum, &
qui ex debitis oritur pudorem exuerit, in li-
bertate agat & fiducia. Libertas autem eſt
aſsimilatio ei quod caret domino & per ſe
obtinet imperium: quæ initio quidem no-
bis fuit à Deo donata, cooperta autem fuit
pudore debitorum. Omnis autem libertas
eſt vna natura, & ſibi eſt familiaritate & ne-

Digitized by Google

ceſsitudine coniuncta. Conſequenter ergo quidquid eſt liberũ, coniũgetur ei quod eſt ſimile. Virtus autẽ caret domino. In ea ergo erit id quod eſt liberũ. Atqui diuina natura eſt fons vniuerſæ virtutis. In ea ergo erũt liberati à vitio: vt, ſicut dicit Apoſtolus, Deus ſit omnia in omnibus. Hæc enim vox mihi apertè videtur cõfirmare ſenſum priùs examinatum, quæ dicit Deum fieri omnia, & in omnibus. Cùm enim vita præſens variè & multifariam nobis operetur, multa quidem ſunt quorum ſumus participes, vt temporis, & aëris, & loci, cibique, & potus, & veſtimentorum, ſolíſque & lucernæ, & multorum aliorum quæ ad vſum vitæ pertinent, quorum nihil eſt Deus. Quæ autem expectatur beatitudo, nullo quidem horum indiget, nobis autem omnia & pro omnibus fiet diuina natura, ad omnem vſum vitæ illius ſeipſam conuenienter & aptè diſtribuẽs. Idque patet ex diuinis eloquiis, quòd Deus ſit locus iis qui ſunt digni, & domus, & indumentum, & cibus, & potus, & lux, & diuitiæ, & regnum, omnéque nomen & intelligentia eorum quæ ad bonam vitam nobis conferunt. Qui autem fit omnia, fit etiã in omnibus. In eo autem mihi videtur ſermo

mo decernere, planè delēdum eſſe vitium. Nam ſi Deus erit in omnibus quæ ſunt, in iis quæ ſunt ſcilicet non erit vitium. Si quis enim illud quoque eſſe poſuerit, quomodo ſaluum manebit Deum eſſe in omnibus? Illius enim exceptio facit mancam omnium comprehenſionem. Sed qui futurus eſt in omnibus, in iis quæ non ſunt non erit.
GREG. Quid ergo, inquam, dicendum eſt eis qui ſunt paruo & puſillo animo in calamitatibus? MAC. Dicamus eis, inquit magiſtra, fruſtrà indignamini & ægrè fertis ſeriē neceſſariæ rerum conſequentię, ignorantes ad quem ſcopum ferantur quæ ſigillatim adminiſtrãtur in vniuerſitate: nempe quòd oportet omnia ordine quodam & conſequentia, ex artificioſa Ducis ſapientia, diuinæ naturæ effici familiarem & coniunctum. Ea enim de cauſa natura ratione prædita venit ad generationem, vt diuinorum bonorum diuitiæ non eſſent otioſę: ſed veluti vaſa quędam libero arbitrio prædita, animarum receptacula conſtructa ſunt à ſapientia à qua condita fuit vniuerſitas, vt eſſet aliquod cõtinens ſpatium capax bonorum, quod ſemper fit maius acceſsione eius quod infunditur. Talis enim eſt diuini boni

Digitized by Google

participatio, vt maiorem & capaciorem faciat eũ in quo ſit, ab eo qui accipit ſuſcepta ad poteſtatis & magnitudinis additamentũ adeò vt ſemper creſcat, qui nutritur, & nũquam deſinat creſcere. Cùm enim fons bonorũ aſsiduè ſcateat ac manet, natura eius quod participat, propterea ꝙ eius quod ſumitur nihil eſt excremẽtitiũ & inutile, quicquid influit in ſuã cõuertens magnitudinẽ, ſimul & maiorem vim nanciſcitur attrahendi melioris, & fit diuturnior, vtriſque ſimul inter ſe creſcentibus, nempe & ea quæ alitur facultate, propter bonorum copiam magis creſcente, & quę alit ſuppeditatione eorum quæ augentur implemẽtum complente. Eſt ergo conſentaneum fore vt ad tantam aſcendant magnitudinem ij in quibus nullus terminus interrumpit incremẽtum. Deinde cùm hæc ſint nobis propoſita, ægrè fertis cùm per viam conſtitutam ad ſuum ſcopum procedat natura. Neque enim fieri poteſt vt noſter curſus aliter ad illa perueniat, & non eo quod nos grauat, hoc, inquã, graui & terreno animæ noſtræ põdere excuſſo, & ab ea quæ eſt cum ipſo conſenſione & affectione, quam in hac vita habuimus, expurgato per meliorem curam ac diligentiam,

tiam,

tiam,in eo quod eſt purum, familiare poſsit effici id quod eſt ſimile. Si autem eſt etiam tibi aliqua ad hoc corpus habitudo,& te angit ab eo quod diligitur diſiunctio, ne hoc quidem ſit tibi à ſpe alienum. Videbis enim hoc indumentum corporeum, quod nunc eſt morte diſſolutum,ex iiſdem rurſus contextum,non hac craſſa & graui conſtructione, ſed in id quod eſt ſubtilius & aëreum filo agglomerato, ita vt tuũ tibi adſit dilectum,& in præſtantiore & amabiliore reſtituatur pulchritudine. GREG. Sed videtur,inquam, quodammodo ex conſequentia nobis ingreſſum eſſe in orationem dogma reſurrectionis. Mihi autem videtur nõ eſſe quidem dubitandum ex doctrina ſcripturarum, id quidem eſſe verum & fidele. Quoniam autem humanæ mentis imbecillitas, ad hanc fidem magis cõfirmatur, quæ eam ſubire poſsint rationibus : ſatius fuerit ne hanc quidem partem relinquere inconſideratam. Conſideremus ergo quid ſit dicendum. MAC. Magiſtra autem, Qui ſunt extra noſtram quidem,inquit,philoſophiã, in diuerſis opinionibus, attigerunt, alius aliã quandam partẽ dogmatis de reſurrectione, neq; cum noſtris omnino cõſentientes,

nec ab ea ſpe omnino excidentes. Nam nõnulli quidem ob communitatem homines iniuria afficiunt, hominis & bruti eandem eſſe animam ſigillatim definientes, quæ alternis induit corpora, & ſemper tranſit ad id quod ſibi videtur, ita vt volucre aliquod, vel aquatile, vel terreſtre animal fiat homo, & rurſus ab eis reuertatur ad humanã naturã. Alij autem etiã ad arbuſta vſque has nugas extendunt, vt etiam ligni vitã ei eſſe conuenientem & propriam exiſtiment. Aliis autem hoc ſolum videtur, quòd ex homine ſemper alium hominem ſuſcipiat, & per eadem humanam vitam ſemper tranſigat, cùm nunc quidem in his, rurſus autem in aliis aſsiduè ſint eædem animæ. Nos autem bene ſe habere dicimus, ſi ab Eccleſiaſticis profecti dogmatibus, ab iis qui hæc ſunt philoſophati tãtum accipiamus, quantum ſufficit ad oſtendendũ eos aliquo modo conſentire dogmati reſurrectionis. Dicere enim animam poſt ſuam à corpore diſſolutionem, rurſus aliquibus infundi corporibus, non multùm diſcrepat ab eo quod à nobis ſperatur, nẽpe fore vt reuiuiſcamus. Nam & nos dicimus, ex mundi elementis & nunc & rurſus corpus noſtrum conſtitui:

&

Digitized by Google

& itidem videtur etiam iis qui ſunt à noſtra doctrina alieni. Non enim aliquam aliam corporis naturã excogitauerint, extra concurſum elementorum. Hoc tãtùm intereſt, quòd dicamus idem rurſus corpus compingi eidem animæ, concinnatum ex iiſdem elementis. Illi autem in alia quædam corpora, tam ratione prædita, quàm rationis expertia & non ſentientia animã tranſire exiſtimant. Quibus quidem nobiſcum conuenit, quòd cõſtitutio ſit ex mũdi partibus. In eo autem diſcrepant, quòd non ex iiſdem, quæ animæ in vita per carnem ab initio aggregatæ ſunt, putent. Ergo quòd nõ ſit quidem alienum à veriſi militudine, animã rurſus eſſe in corpore, teſtetur externa philoſophia. Quàm non poſsit autem eorum dogma conſiſtere, tempus fuerit diſpicere, & per nobis exorientẽ ex eo quod eſt conſentaneum, veritatem, quoad eius fieri poteſt, declarare. Quid ergo de his dicemus? Qui ad diuerſas naturas faciunt trãſmigrare animam, mihi videntur confundere naturæ proprietates, & omnia inter ſe permiſcere ac confundere, id quod eſt rationis particeps, & quod expers rationis, quod eſt ſenſu præditum, & quod caret ſenſu, ſi ea in

Digitized by Google

ſe inuicem fuerint, nulla naturę ſerie à ſe inuicem ſeiuncta, quominùs poſsint commigrare. Dicere enim eandem animam, nunc quidem fieri ratione præditam & intelligentem per eiuſmodi indumẽtum corporis, rurſus autem deliteſcere in ſpeluncis cum ſerpentibus, aut congregari cum auibus, aut onus portare, aut carne veſci, aut in aqua natare, aut etiam eò tranſire vt non ſit ſenſus particeps, vt quæ radices agat & arboreſcat, ramóſq; proferat, & in iis vel florem, vel ſpinã, vel aliquid quod alat, aut ſit lethale producat, nihil eſt aliud quàm exiſtimare idem eſſe omnia, & vnam in iis quæ ſunt naturam, in confuſa quadam & indiſcreta cõmunitate cum ſeipſa permixtam, nulla proprietate alterum ab altero ſecernente. Nam qui idem dicit eſſe in quolibet, nihil ſibi vult aliud quàm vnum eſſe omnia, innata iis quæ ſunt differentia, nihil impediente quominùs miſceantur quæ nullam poſſunt inter ſe habere coniunctionem: vt neceſſe ſit etiam ſi quid videat carniuorum aut venenatum, exiſtimare id eſſe eiuſdem cuius eſt ipſe generis id quod cernitur. Neque is cicutam tanquam alienam videbit à ſua natura, ſiquidem videt

etiam

Digitized by Google

etiam hominem in plantis. Sed neque de botro erit extra ſuſpitionem, qui ad vſum vitæ colitur. Nam is quoque eſt ex iis quæ è terra naſcuntur. Plantæ autem ſunt nobis etiam natæ ſpicæ per quas alimur. Quî igitur falcem adducet ad ſpicas excidēdas? Quo modo autem botrum exprimet, aut è terra ſpinam effodiet, aut florem carpet, aut aues aucupabitur, aut ex lignis rogum accēdet, cùm ſit incertum, num aduerſùs cognatos aut parentes, aut eos qui ſunt eiuſdem gentis, manus feratur, & per corpus eorum vel ignis accendatur, vel crater temperetur, vel alimentum paretur? Putare enim per vnumquodque eorum trāſire animam hominis, ſigna autem non eſſe impoſita quæ'nam ſit quidem planta ex homine, vel animal, quídnam ſit autem quod factum eſt aliter, ad hæc ex æquo afficietur quem prius eiuſmodi inuaſit opinio: adeò vt neceſſariò vel in ipſos qui in natura viuunt homines ſit immitis: vel ſi in iis qui ſunt eiuſdem generis ad benignitatem & clementiam natura ſit propenſius, in quoduis animatum ſimiliter afficiatur, etiam ſi ſit inter ſerpentes, etiam ſi inter feras: Sed & ſi ſit in ſyluis qui hoc dogma ſuſcepit, po-

Digitized by Google

pulum hominũ exiſtimabit arbores. Quænam eſt ergo eius vita, qui vel omnia reueretur & colit, propterea quòd ſint eiuſdem generis, vel eſt etiam in homines immitis, propterea quòd eos ſtatuat nihil differre ab aliis? Ex iis ergo quæ dicta ſunt reiicienda fuerit huiuſmodi oratio, cùm multa etiã alia, vt eſt cõſentaneum, nos ab hac opinione abducãt. Audiui enim eos qui hæc dogmata conſtituunt, quòd ponũtur quædam gentes animarum, in quadam ſua ciuitate viuentes ante quàm viuant in corpore, quę ſubtilitate & immobilitate ſuæ naturæ cum vniuerſitatis circumagantur ambitu. Cùm autem quadam ad malum propenſione defluxerint, fiunt animæ in corporibus: primùm quidem humanis: deinde quòd à ratione alienis aſſueuerint vitiis ac perturbationibus, poſtquàm ex hac vita exceſſerint, fiant iumenta: & illinc decidant vſque ad hanc naturalem & quę ſenſu caret vitam: adeò vt quod eſt natura ſubtile & mobile, quod quidem eſt anima, primùm quidem graue factum deorſum feratur, propter vitium inhabitans in humanis corporibus. Deinde rationis extincta facultate viuat inter ea quæ ſunt expertia rationis: illinc autem

Digitized by Google

autem dono quoque ſenſuum ablato, hanc quoque ſumat vitam nullo ſenſu præditam quæ eſt in plantis. Inde autem rurſus per eoſdem gradus aſcendant, & in cœleſtem locum reſtituantur. Hoc autem dogma ab iis qui vel mediocri iudicio ſunt prędití, ex hoc ipſo refellitur, vt quod nequaquá poſſit in ſe conſiſtere. Si enim à vita cœleſti, propter vitium, ad ligni vitá anima detrahitur, inde autem rurſus per virtuté ad cœleſtem reuertitur, inuenitur eorum dubitare oratio, quídnam exiſtimet pręſtátius, vitámne ligneá an cœleſtē? eſt enim circulus qui ſemper vertitur per ſimilia, cùm anima in eo in quo eſt nunquam poſsit conſiſtere. Si enim à vita incorporea defertur ad corporeum, ex hac autem ad eam quæ ſenſu caret, illinc autem rurſus recurrit ad incorporeũ: nihil aliud quàm indiſtincta bonorum & malorũ confuſio excogitatur ab iis qui hæc dogmata proferũt. Neq; enim vita cœleſtis permanet in beatitudine, ſi eos qui illic viuunt attingit vitium: neque ligna carebunt virtute, ſi hinc quidem ad bonum putant redire animam, illinc autem incipere vitam quæ agitur ex vitio. Si enim quæ ſimul cum cœlo circumagitur anima impli-

Digitized by Google

catur vitio:& per id detracta ad vitam materiæ participem, hinc detruditur ad vitam quæ in alto agitur: an non contrà ab illis cõfirmatur, quòd vita quidem materialis ſit vitij purgatio: inerrans autem ambitus ſit malorum dux & cauſa animis: ſi quidẽ hinc quidem per virtutem enatis pennis ſublimè extolluntur: illinc autẽ per vitium pennis decidentibus, fiunt humiles & terrenæ, admixtæ craſsitudini naturæ materialis? Nec huc vſque conſiſtit huiuſmodi dogmatum abſurditas, quòd in contrarium conuertantur opiniones. Sed nec ipſa eorum conceptio perpetuò manet eis firma & ſtabilis. Si enim immutabile dicunt id quod eſt cœleſte, quomodo in immutabili locum habet affectio? & ſi affectionibus obnoxia eſt inferna natura: quomodo in patibili rectè procedit impatibilitas? Sed permiſcent ea quæ miſceri non poſſunt, & vniunt quæ inter ſe nullam habent communionem, in affectione immutabilitatem, & rurſus in immutabili cernentes patibilitatem. Sed nec in his ſemper permanent, ſed vnde animam per vitium amandarunt, illic rurſus eam, tanquam in tuta vita & ab interitu aliena & materiali collocant, veluti obliti

Digitized by Google

bliti quòd ea illinc tanquam vitio grauata, cum inferiori mixta fuerit natura. Ergo & huius vitæ vituperatio, & laus cœleſtium inter ſe cõfunduntur & permiſcentur, cùm illa quidem quæ eorum ſententia in inuidiam vocatur & malè audit, ſit dux ad id quod eſt bonum, ea autem quæ melior cenſetur, det animæ occaſionem, vt ſit propenſa ad id quod eſt deterius. Eiiciatur ergo ex veritatis dogmatibus omnis errabunda & inſtabilis de his rebus opinio: neque ex mulierum corporibus ad virilem vitam videri tranſire animas, aut contrà eſſe in mulieribus animas quę ſunt ſeparatæ à corporibus virorum, aut etiam à viris tranſire ad viros, & dicere mulieres fieri ex mulieribus, ſequamur, tanquam quę ſcopum veritatis attigerint. Nam prior quidem ſententia, non ſolùm eſt reprobata, eo quòd ſit falſa & inſtabilis, vt quæ ipſa per ſe ad cõtrarias conuertatur opinones, ſed quòd etiam ſit impia, vt quæ cẽſeat nihil eorum quæ ſunt duci ad generationem, niſi vnicuique naturæ vitium det principium. Si enim nec homines, nec plantæ, nec pecora naſcuntur, ſi nõ anima in ea deciderit: caſus autẽ ſit per vitium. Putant ergo vitium dare initium eo-

rum quæ ſunt conſtitutionis. Et quomodo eueniunt vtraque eodem tempore, nempe vt & homo procreetur ex nuptiis, & fiat lapſus animæ dum in nuptiis datur opera liberis: & quod eo eſt adhuc alienius à ratione, ſi vere coëant multa animantia rationis expertia, dicíne poteſt quòd ſuperno ambitu ver efficiat vt vitium innaſcatur, adeò vt ſimul accidat & vt animæ malo repletæ cadant, & brutorum vteri concipiant? Quid verò dixerit quiſpiam de agricola qui terræ infigit auulſos plantarum ſurculos, quomodo manus eius ſimul cum plãta humanam animam infodiat, concurrente defluxu animæ ſimul cum hominis labore & ſtudio ad plantandum? Idem ergo abſurdum eſt etiã in altera ſententia, nempe quòd anima ſit ſolicita de cõiunctionibus eorum qui viuũt in coniugio, & obſeruet coïtus, vt inſeratur corporibus quæ procreãtur. Sin autem maritus nuptias repudiauerit, mulier autem ſe à pariendi neceſsitate liberauerit, an non animam grauabit vitium? Dãt ergo nuptiæ vitio quod eſt ſuperius, anſam deſcẽſus animarum: vel etiam abſque iis tangit animã habitudo quæ eſt ad contrarium. Interim ergo domo carens & errans vagabitur anima,

ma, vt quæ è cœlis quidem delapſa ſit: corpus autem fortaſſe quod eam recipiat, minimè ſit aſſecuta. Deinde quomodo etiã per hæc exiſtimabunt Deũ præeſſe iis quæ ſunt & ea adminiſtrare, cùm huic fortuito, & qui fit citra vllam rationem animarũ caſui, adſcribant vitæ humanę initia? Omnino enim neceſſe eſt, vt principio conueniant etiam ea quæ id ſequuntur. Si enim temerè & ex caſu quodam vita cœpit, eius quoque curſus ſit omnino fortuitus: & temerè ij qui ſunt eiuſmodi, aſſerunt ea quæ ſunt pendere à vi diuina, qui non voluntate diuina naſci dicunt quæ ſunt in mundo, ſed ad ſceleratum neſcio quem euentum, eorum quæ fiunt principium reducũt, vt pote quòd gumana vita non conſtitiſſet, niſi vitæ malum anſam dediſſet. Si ergo vitæ eſt eiuſmodi initium, oportet etiam ea quæ deinceps ſequuntur moueri conuenienter initio. Nemo enim ex malo ramo vel ex bono cõtrarium naſci dixerit, ſed ſecundùm naturam ſeminis fructus quoque expectamus. Totius ergo vitæ hic temerarius & fortuitus motus dux erit, per ea quę ſunt nulla peruadente prouidentia. Penitus quoque inutilis erit quę rationibus vtitur prudentia: vir-

tutis autem nullũ erit lucrum: & à malo eſſe alienũ pro nihilo fuerit. In eo enim quod fert ſita erunt omnia, & nihil differet vita à nauigiis quæ carent gubernatore, vt qui temerariis caſibus, tanquam aliquibus fluctibus, feratur alias ad aliam ſortem bonorum vel malorum. Non poteſt enim fieri vt ex virtute inſit lucrum in iis in quibus natura principium habet ex contrario. Nam ſi noſtra quidem vita regitur diuinitus, conſtat nec vitium in noſtram vitam obtinere principatum. Sin autem per illud procreamur, ex eo omni ex parte omnino vitã agemus. Nugas ergo per hæc eſſe oſtendetur, quæ ſunt poſt hanc vitam ſupplicia, & quę pro meritis dantur remunerationes, & quęcunque alia ad tollendum vitium dicuntur & creduntur. Quomodo enim fieri poteſt, vt homo ſit ab eo remotus, qui per illud eſt procreatus? Quomodo autem fieri poteſt, vt homini inſit à libero arbitrio profectus ad virtutem impetus, cuius natura, vt dicũt, habet initium à vitio? Quo modo enim nullum ex brutis animantibus aggreditur loqui more humano: vt ẽtia autẽ voce congenita, & ſecũdùm naturam, nullum ſe damnum accipere exiſtimant ſi careant oratio-

oratione: eodem modo & quibus vitium cenſetur eſſe vitæ initium & cauſa, ne virtutis quidem tenebuntur deſyderio, vt quæ ſit extra eorum naturam. Atqui omnes qui habent animam expurgatam rationibus, tenentur ſtudio & deſyderio vitæ ex virtute agendæ. Per hoc ergo apertè oſtenditur, vita non eſſe vitium antiquius, neque illinc naturam prima habuiſſe initia: ſed noſtræ vitæ dare principium, quæ adminiſtrat vniuerſitatem Dei ſapientiam: animam autem, cùm venerit ad generationem eo modo qui placet Creatori, tunc liberè eligere id quod eſt ex ſua ſententia, vt quæ ex vi liberi arbitrij fiat quod velit. Diſcamus autem quod dicitur ex oculi exemplo, cui videre quidem eſt ex natura: non videre autem, ex libero arbitrio, vel etiã ex affectione. Fuerit enim aliquando & quod eſt præter naturam pro natura, aut aliquo ſua ſpõte claudente oculos, aut priuato viſu ex affectione. Ita de anima dici poteſt, eam quidem eſſe diuinitus conſtitutam, & cùm in Deo nullum eſſe intelligatur vitium, eam eſſe extra eius neceſsitatem. Cùm autem ſic facta ſit, ſuo arbitratu duci ad id quod videtur, vel ex libero arbitrio claudentẽ oculos

Digitized by Google

ad id quod eſt honeſtum ac pulchrum, vel ex inſidiis inimici qui cum noſtra vita habitat, læſum habentem oculum, & viuentem in tenebris deceptionis: vel etiam contrà aſpicientem purè ad veritatem, à tenebricoſis procul eſſe affectionibus. Quando ergo dicet aliquis eam factam & quomodo? Sed quæſtio quidem quomodo facta ſint ſingula, auferenda eſt omnino ab oratione. Neque enim de iis quæ ſunt nobis in promptu ad cogitandum, quorum per ſenſum habemus apprehenſionem, ſcrutando rationes poſſumus comprehẽdere quomodo conſtiterit id quod cernitur: adeò vt ne viri quidem ſancti & à Deo inſpirati id cõprehendi poſſe exiſtimauerint. Fide enim intelligimus, inquit, aptata eſſe ſæcula verbo Dei, vt non ex iis quæ apparent facta ſint quæ videntur. Non, vt opinor, hoc dicturus, ſi cognoſci poſſe exiſtimaſſet per rationes id quod intelligitur: ſed Dei quidem voluntate aptatum eſſe ipſum ſæculum, & quæcunque ex illo facta ſunt, quodcunque ſit ſæculum, quo conſideratur quælibet res creata tam aſpectabilis quàm quæ non cadit ſub aſpectum. Hoc ſe credidiſſe dicit Apoſtolus: quomodo autem, dimiſit inſcru-

Heb. 11.

Digitized by Google

inſcrutatum. Neque enim arbitror fieri poſſe vt id aſſequantur qui inquirunt, cùm perplexas & inexplicabiles dubitationes de his nobis priùs oſtendat quæſtio: quo modo ex ſtante natura id quod mouetur, ex ſimplici & nulla intercapedine diſiuncto id quod eſt interuallis diſiunctum & compoſitum. Num ex ipſa quæ ſupereminet eſſentia? Sed conſtat ea eſſe diuerſi ab illa generis. Sed aliunde? Atqui extra diuinam naturam nihil aſpicit oratio. Re vera enim in diuerſa principia ſcindetur opinio, ſi extra cauſam efficientem aliquid eſſe cenſeatur, à quo artificioſa ſapientia corroget apparatus, qui pertinẽt ad creationem. Quoniam ergo eorum quæ ſunt eſt vna cauſa: non ſunt autem eiuſdem generis, cuius ſupereminẽs natura, quæ per illum producta ſunt ad generationem. Eſt autẽ vtrunque æquè abſurdum, & ex Dei natura exiſtimare rem creatam, & ex aliqua alia eſſentia conſtituta eſſe vniuerſa. Aut enim Deus eſſe reputabitur in rei creatæ proprietatibus, ſi quidem quæ facta ſunt, ſunt eiuſdem generis, cuius eſt Deus: aut aliqua materialis natura extra diuinam eſſentiam contrà educetur, quæ quod attinet ad ingenitum eius quod eſt

Digitized by Google

proprietate Deo exæquatur. Quod quidē & Manichæi viſione apprehendentes, & quidam Græcæ Philoſophiæ dogmati ſuis coniecturis aſſentientes, hoc ſuſceperunt viſum. Vtranque abſurditatem in eorum quæ ſunt quæſtione quàm maximè fieri poterit fugiamus, & exemplum Apoſtoli ſequentes, quomodo ſit vnumquodque curioſè perſcrutari mittamus: hoc ſolum adnotantes, quòd diuinę voluntatis impetus, quando voluërit res fit, & ad eſſentiam deducitur id quod voluit, ſtatim effectum naturæ omnipotente poteſtate efficiente vt quod ſapienter & artificioſè voluërit volūtas, id non ſit eiuſmodi vt non exiſtat. Voluntatis autem exiſtentia, eſt eſſentia. Cùm autem ea quæ ſunt ſint diuiſa bifariam, in intelligens et corporeum, res quidem creata quæ eſt ex intelligentibus, non videtur aliquo modo diſcrepare à natura incorporea, ſed eſſe ex natura eius quod eſt genere coniunctum, oſtendens id quod nec videri, nec contrectari, nec interuallo diſiungi poteſt. Quod quidem exiſtimans quiſpiam in natura quæ ſupereminet, non aberrabit. Cùm res autem creata corporea conſideretur in proprietatibus quæ cum Deo non habent

Digitized by Google

habent communionem, & ea maximè perplexam afferat rationi dubitationem, cùm videre nequeat quemadmodũ ex eo quod non eſt aſpectabile id quod videtur, ex eo quod tãgi nõ poteſt id quod eſt durũ & renitens, ex interminato id quod eſt terminatum, ex eo quod quantitate caret & magnitudine id quod omnino quibuſdam menſuris quæ in quanto conſiderantur, eſt effectum, & ſingula quæ in corporea comprehenduntur natura, de illis tantùm dicimus, quòd nihil per ſe eorũ quæ per ſe conſiderantur in corpore, eſt corpus, non color, non figura, non pondus, non interuallum, non quantitas, nõ aliud quidquam ex iis quæ conſiderantur in qualitate: ſed eſt vniuſcuiuſque eorum ratio. Eorum autem inter ſe inuicem concurſus & vnio fit corpus. Quoniam ergo quæ corpus complent qualitates, mente comprehenduntur & nõ ſenſu: quis labor eſt eo quod mente percipitur efficere ſenſilia, quorum qui fit inter ſe inuicem concurſus, genuit naturam corporis? Sed hæc quidem examinata ſunt extra propoſitum. Quod quærebatur autem erat, Si animę non fuerunt ante corpora, quando & quomodo fiunt. Et ea de cauſa

Digitized by Google

quęſtionem Quomodo, vt quam aſſequi non poſsit, nequaquam curioſè inueſtigandam dimiſit oratio. Reſtat autem vt quæramus quando exiſtentię principia habeāt animæ, vt quod ſit conſequēs iis quæ priùs ſunt examinata. Nam ſi datum fuerit quòd anima ante corpus in quodam proprio ſtatu viuat, neceſſe eſt omnino vt exiſtimemus valere abſurda illa dogmata eorum qui per vitium animas in corpora ad habitandum inducunt. Atqui generationem eſſe animis poſteriorem, & eas iuniores eſſe formatione corporum, nemo qui ſapit, cēſuerit, cùm ſit omnibus euidens, quòd nihil inanimum habet facultatē augendi & mouendi. De eorum autem qui in vtero aluntur, nec incremento nec motu per locum dubitatur. Reſtat ergo vt exiſtimemus vnum & idem eſſe principium cōſtitutionis animę & corporis: & quo modo è radice euulſum ſurculum, ab agricolis acceptum terra efficit arborem, non ipſa ei quod nutritur augendi immittens facultatem, ſed ſolùm vt augeatur anſam & materiam immittens ei quod inſeritur: ita dicimus etiā id quod ab homine euellitur eſſe hominis ſationem, & ipſum eſſe quodammodo animal,

mal, ex animato animatum, ex eo quod nutritur id quod nutritur. Si autem non omnes animæ operationes & motus contineat eius quod eſt euulſum breuitas, non eſt mirandum. Neque enim quod eſt in ſemine frumẽtum, ſtatim eſt pro vt apparet, ſpica. Quomodo enim tantum in tanto continuerit? ſed terra conuenientibus id alente nutrimentis, frumẽtum fit ſpica, non mutans in gleba naturam, ſed ope nutrimenti ſeipſum oſtẽdens & perficiens. Quomodo ergo in iis quæ enaſcuntur ſeminibus, ad perfectionẽ paulatim procedit augmẽtum: eodẽ modo in humana quoq; cõſtitutione, pro proportione corporeę quãtitatis, apparet etiã vis animę, quę primũ quidẽ per alẽdi & augẽdi facultatẽ ineſt iis quæ formãtur intrinſecus: poſteà autẽ ſentiẽdi munus inducit iis, quæ edita ſunt in lucem: deinde ita veluti quẽdam fructũ, cùm iam planta creuerit, rationis oſtendit facultatẽ, non totam ſimul & ilico, ſed quæ excurrente planta per conſequentiam profectus ſimul augetur. Quoniam ergo quod auellitur ab animatis, vt ſit occaſio & materia animatæ conſtitutionis, non poteſt eſſe mortuum. mors enim fit per animę priuationẽ.

Digitized by Google

Non præceſſerit autem habitum priuatio; ex his comprehendimus communem eſſe acceſſum ad eſſentiam ei quod eſt ex vtriſque compoſitum, cùm nec hoc ſit prius, nec illud poſterius. Statum autem incrementi numeri animarum neceſſariò quandoque futurum videt ratio, ne aſsiduè natura per eos qui naſcendo ſequuntur ſemper anteriùs diffundatur, & à motu nũquam ceſſet. Cauſam autẽ quòd oporteat tandem quoque ſtabilem noſtram eſſe naturam, hanc eſſe putamus: quòd cùm vniuerſa natura quę percipitur intelligentia, ſtet in ſua plenitudine, conſentaneum eſt naturam quoque humanam peruenire ad finẽ. Neque enim ea eſt aliena à natura quæ percipitur intelligentia, ne ſemper manca videatur ac defecta. Quæ enim ſemper fit acceſsio eorum qui naſcendo ſequuntur, arguit defectam eſſe naturam. Quando ergo humana natura ad ſuam peruenerit plenitudinem, ſiſtetur omnino fluxus ipſe naturæ motus, vt qui deuenerit ad finem neceſſarium. Et vitam excipiet quidam alius ſtatus, ſeparatus ab eo qui nunc tranſigitur in ortu & interitu. Si enim non ſit ortus, neceſſariò ne erit quidem quod intereat. Si enim diſſolutionem

nem præcedit generatio: compoſitionē autem dicimus acceſſum ad eſſentiā qui fit per generationem, conſequens eſt omnino, vt ſi non præcedat compoſitio, ne ſequatur quidem diſſolutio. Stans ergo & indiſſolubilis quæ poſteà ſequitur vita, per fidei euidenter apparet conſequentiam, quæ nec ab ortu alteratur nec ab interitu. GREG. Ego autem cùm hæc diſſeruiſſet magiſtra, quoniam multis ex aſsidentibus videbatur quē par erat finem accepiſſe oratio, veritus ne non eſſet ampliùs qui nobis diſſolueret quę de reſurrectione nobis obiiciuntur ab aduerſariis, ſi quid magiſtræ accideret ex ægritudine, quod etiam accidit, Nōdum, inquā, quod eſt præcipuum & maximè opportunum eorum quæ quæruntur in dogmate attigit oratio. Dicit enim diuinitus inſpirata ſcriptura, in noua & veteri doctrina, quòd cùm natura noſtra, ordine quodam & ſerie, per prætereuntem motum temporis tandem peruaſerit, omnino quidem fore vt ſiſtatur hic fluxus motus, vniuerſitatis autem complemento non ampliùs ſuſcipiente incrementum, vniuerſum planè animarum cœtum, ex eo quod non cadit ſub aſpectum & eſt diſperſum, ad id reuerſurū

quod conſiſtit & cernitur, iiſdem elementis eadem ſerie ad ſe inuicem recurrentibus. Hic autem vitæ ſtatus à diuina ſcripturarũ doctrina dicitur reſurrectio, cum eius quod eſt terrenum erectione ſimul quoque nominato vniuerſo motu elementorũ. MAC. Quid eſt ergo, inquit, horum cuius nõ meminimus in iis quæ ſuperiùs dicta ſunt? GREG. Ipſum, inquam, dogma reſurrectionis. MAC. Atqui, inquit, mulra eorum quę nunc per tranſitum dicta ſunt, tendunt ad hunc ſcopum. GREG. Neſcis enim, inquã, quantum examen de hac ſpe obiectionum aduerſùs nos infertur à noſtris aduerſariis: ſimúlque aggreſſus ſum dicere quæ inuenta ſunt ab hæreticis ad euertendam reſurrectionem. MAC. Illa autem, Videtur mihi, inquit, oportere priùs paucis perſequi, quæ ſparſim à diuina ſcriptura de hoc dogmate ſunt expoſita, vt illinc à nobis orationi imponatur coronis. Audiui ergo Dauid pſallentem in diuinis canticis, quando accepto argumẽto vniuerſitatis adminiſtrationis & exornationis, in Pſalmo cẽteſimo tertio in fine hymni hoc dicit, Auferes ſpiritũ eorum & deficient, Emittes ſpiritum tuum & creabuntur, & renouabis faciem terræ, dicens

Digitized by Google

dicens vim ſpiritus quæ omnia operatur in omnibus, & ea viuificare in quibus fuerit, & à vita rurſus abducere eos à quibus abfuerit. Quoniam ergo ſpiritus quidem receſſu, viuẽtium defectum, præſentia autem eorum qui defecerãt fieri dicit renouationem: ſerie autem orationis præcedit defectus ea quæ renouantur, hoc dicimus, Eccleſiæ annunciari myſterium illud reſurrectionis, ſpiritu prophetico Dauide hanc gratiam pronunciante. Quinetiam alibi dicit idem Propheta, quòd Deus vniuerſitatis, *Pſal.* qui eſt eorum quæ ſunt Dominus, apparuit 112. nobis, ad cõſtituendum feſtum in condenſis, interpretans feſtum ſcenopegiorum per dictionem condenſationis; quæ olim quidẽ fuit lege conſtituta à Moſis traditione, legiſlatore, vt exiſtimo, propheticè futura prædicẽte. Cùm autem ſemper fieret, nondum factum fuerat. Nam eorũ quidem quæ fiebant ænigmatibus typicè præſignificabatur veritas: ipſa autem vera nondum erat ſcenopegia: ſed ea de cauſa, vt dicit Propheta, vniuerſorum Deus & Dominus ſeipſum nobis oſtendit, vt humanæ naturæ rurſus conſtrueretur diſſoluti habitaculi noſtri ſcenopegia, per elementorum coïtionem rur-

ſus condenſata corporaliter. Ambitũ enim & qui ex eo eſt ornatum dictio condenſationis ex ſua emphaſi ſignificat. Pſalmi autem ſic habet dictio, Deus Dominus, & apparuit nobis ad conſtituendum feſtum in condenſis vſque ad cornua altaris. Quod quidem mihi videtur per ænigma pronunciare, vnum feſtum conſtitui vniuerſæ rationis participi creaturæ, iis quæ ſunt inferiora ſimul choros ducentibus cum iis quæ ſupereminent in coïtione bonorum. Quoniam enim in typica templi conſtructione non permittebatur omnibus eſſe intra externum ambitum, ſed arcebatur quicquid erat gentile & alterius generis. Eorum autem qui erant intus, vt opinor, non ex æquo dabatur omnibus ad interiora aditus, qui non puriore viuendi ratione & aſperſionibus quibuſdam eſſent expiati. Rurſus autem in iis quoque ipſis non omnibus patebat aditus ad templum interius: ſed ſolis licebat ſacerdotibus eſſe intra velum cauſa ſacrificij. Templi autem adytum, in quo poſitum erat altare, exornatum quibuſdam cornuum prominentiis, ne ab ipſis quidem poterat adiri ſacerdotibus, præter vnum qui primum locum obtinebat in ſacerdotio

Pſal. 117.

Digitized by Google

:erdotio,qui ſemel in anno, die certo, lege
>ræſtituto, ſacrum quoddam & myſticum
offerens ſacrificium ingrediebatur. Cùm
ſit ergo tanta circa hoc templum differentia,quæ erat imago & ſimilitudo ſtatus qui percipitur intelligentia, corporalis hoc docet qui congregabatur cœtus, quòd neque vniuerſa natura ratione prædita, templo Dei,hoc eſt confeſsioni magni Dei, appropinquat: ſed qui in falſis errant opinionibus,ſunt extra diuinum funium ambitum. Eorum autem qui intrò venerunt per confeſsionem,aliis ſunt prȩſtantiores qui aſperſionibus & caſtitate priùs ſunt expiati. Horum autem præcellunt qui iam ſunt conſecrati,adeò vt etiam interna digni habeantur myſtagogia. Vt autem magis in apertũ proferatur emphaſis ænigmatis, hæc dici poſſunt docẽte ratione, quòd ex participibus rationis facultatibus, aliquȩ quidẽ ſunt per ſacrũ altare collocatæ in adyto diuinitatis.Ex iis rurſus aliæ conſiderãtur in eminẽtia,cornuum inſtar circumpoſitæ.Et aliæ circa illas,quadam ordinis conſequentia,& primas & ſecundas partes obtinent.Genus autem humanum,propter innatum vitium eiectum fuit extra diuinum ambitũ, quod

quidem aſperſionis lauacro expurgatum intrò admittitur. Sed quoniam hæc ſepta intermedia ſunt aliquando ſoluenda, per quæ à velo interno nos vitium arcuit, quando noſtra natura per reſurrectionem rurſus infixa fuerit tabernaculo, & omnis differentia quæ acceſsit ex vitio, ex rerum natura fuerit deleta, tunc conſtituetur commune feſtum quod eſt circa Deum iis qui ſunt condẽſati per reſurrectionem, adeò vt vna & eadem lætitia proponatur omnibus, nulla ampliùs differentia arcente naturam ratione præditam, quo minùs æqualium poſſit eſſe particeps: ſed iis qui nunc ſunt extrà propter vitium, tandem futuris intra adyta diuinę beatitudinis, & cornibus altaris, hoc eſt eminentibus ſupramundanorum poteſtatibus ſeipſos coniungẽtibus. Quod quidem apertiùs dicit Apoſtolus, vniuerſitatis conſenſionem cum bono interpretans: nẽpe quòd ei omne genu flectetur cœleſtium, terreſtrium, & infernorum, & omnis lingua confitebitur, quòd Dominus Ieſus in gloriam Patris. Pro cornibus quidem dicens angelicum & cœleſte. Per reliqua autem, ſignificans creaturam quæ poſt illa intelligitur, nempe nos: quos omnes vnum & con-

Philip. 2

Digitized by Google

:ntiens feſtum cõtinebit. Eſt autem feſtũ, ius quod eſt confeſsio & agnitio. Poſſunt utem, inquit, alia quoque multa colligi ex acra ſcriptura ad confirmãdum dogma reſurrectionis. Nã & Iezeciel, cùm vniuerſum :ẽpus quod intercedit & quod eſt in eo ſpa:iũ Prophetico ſpiritu ſuperaſſet, præſciẽdi facultate cõſiſtit in ipſo tẽpore reſurrectionis: & futurum tanquam iam factum contemplatus, narratione ponit ob oculos. Vidit magnum campum patentem in infinitum, & in eo magnam oſsium congeriem, quæ temerè & vt contigerat alia alibi erãt diſperſa, deinde diuina virtute ſimul mouebantur ad ea quæ erant cognata & propria, & ſuis inſerebãtur compagibus: deinde neruis & carnibus & pellibus operiebãtur: quod quidem Pſalmographus appellat condenſatum, & ſpiritum viuificantem & excitantem quicquid iacebat. Reſurrectionis autem miraculorum quæ ab Apoſtolo refertur expoſitionem, vt quæ ſit in promptu legentibus, quid attinet dicere? quemadmodum quodam iuſſu & tubarum ſonitu, repentè vniuerſum quod iacet mortuũ, immutabitur ad immortalẽ naturam. Sed & voces Euangelicas, vt quę ſint manifeſtæ

Ezech. 37.

Digitized by Google

omnibus, prætemittemus. Non enim verbo ſolùm dicit Dominus fore vt mortui reſurgant, ſed ipſam etiam operatur reſurrectionem, ab iis quę ſunt nobis propiora & quibus poteſt magis fides haberi, incipiens facere miracula. Nam primũ quidem in moribundis corporibus viuificam oſtendit virtutem, iuſſu verbi morbos expellẽs. Deinde excitat puerum nuper mortuum. Deinde adoleſcentem qui iam efferebatur ad ſepulchrum, cùm in loculo excitaſſet dat matri. Poſteà Lazarũ qui quatuor dierum tempore iam iacebat mortuus, viuum educit è ſepulchro, cùm voce & iuſſu viuificaſſet iacentem. Deinde ſuum ipſius hominẽ clauis & lancea transfixum, poſt tres dies excitat à mortuis, fiſſuras clauorum & plagam lanceæ ad teſtimonium adducentem reſurrectionis. De quibus nihil exiſtimo eſſe à nobis differẽdum, cùm nulla ſubſit dubitatio in iis qui ea quæ ſcripta ſunt admittunt. GREG. Sed nec hoc, inquam ego, erat quod quærebatur. Nam quòd futura ſit aliquando reſurrectio, & quòd incorruptum iudicium ſit homo ſubiturus per ſcripturæ probationes, & ea quæ iam ſunt examinata, aſſentientur multi ex iis qui audiũt. Reliquum

liquum autem fuerit conſiderare, an ita vt eſt id quod nunc eſt, erit etiam quod ſperatur. Quod quidem ſi fuerit, fugiendam eſſe hominibus dixerim ſpem reſurrectionis. Si enim qualia fiunt humana corpora viuere deſinentia, talia vitæ rurſus reſtituuntur: nõ finienda quædam calamitas ſperatur hominibus per reſurrectionem. Quod enim miſerabilius fuerit ſpectaculum, quàm cùm in extrema ſenectute incuruata corpora, ad turpitudinem & deformitatẽ fuerint tranſformata, rugoſa autem pellis conſumpta carne oſsibus adhæſerit, nerui autem fuerint conuulſi, propterea quòd naturali humore nõ ampliùs pinguefiãt: & ideò toto corpore contracto indecorum & miſerandum fit ſpectaculum, capite quidem in genu inclinato, manu autẽ hinc & hinc quidẽ planè otioſa in ea quę eſt ſecundùm naturã operatione, tremore autem vel inuita palpitãte. Cuiuſmodi autem rurſus ſunt corpora eorum qui diuturnis morbis contabuerunt, quę à nudatis oſsibus tantũ differunt, quatenùs videntur eſſe tecta tenui & iam conſumpta pelle. Eorum autem quos morbus occupauit regius indecoram labẽ quęnam oculis ſubiecerit oratio, quemadmo-

Digitized by Google

dum omnia membra tam inſtrumentaria, quàm quibus ſenſus funguntur officio, eis putredo procedens depaſcitur? De iis autẽ qui in terræ motibus vel in bellis, vel ex aliqua alia cauſa ſunt mutilati, & ante mortẽ aliquo tempore in hac calamitate fuere ſuperſtites, vel de iis qui ab ortu exitiali aliquo malo implicati, cum peruerſis & diſtortis obeunt membris, quid dixeris? De nuper natis autem infantibus, qui ſunt & expoſiti & ſuffocati, & qui caſu pereunt, quídnam eſt exiſtimandum, ſi ij rurſus reuiuiſcant, num manent in infantia? Et quid miſerabilius? Sed ad mediocrem ætatem peruenient? Et quónam lacte eos rurſus nutriet natura? Quapropter ſi idem quidem per omnia corpus eſt nobis reuicturum, calamitas eſt id quod expectatur. Sin autem non idem, alius erit qui ſuſcitatur ab eo qui iacebat mortuus. Si enim occidit quidem infans, ſurgit autem adultus, aut cõtrà: quo modo dici poteſt eundem ſurgere qui iacebat, cùm ætatis differẽtia mutatus ſit is qui ceciderat? Pro infante enim adultum, & pro ſene vidẽs iuuenem, alterum aſpexeris pro altero. Et pro mutilato integrum, & pro eo qui contabuit corpulentum, & alia omnia

ſimiliter

ſimiliter, ne ſingula perſequens moleſtiam afferat oratio. Niſi corpus tale reuixerit, quale erat quando fuit mixtum terræ, non ſurget id quod erat mortuum, ſed terra rurſus formabitur in alium hominem. Quid ergo ad me reſurrectio, ſi pro me reuiuiſcet alius? Quomodo enim ipſe me agnouerim, in me videns non meipſum? Non enim re vera fuerim ego, niſi in omnibus fuerim idē qui ego ipſe. Quo modo enim in hac vita, ſi habeam alicuius figuram in memoria: ponatur autem, verbi cauſa, is eſſe raro capillo, promiſsis labris, preſsis naribus, albo colore, cęſiis oculis, cano capite, & rugoſo corpore: deinde eum quærens, incidam in iuuenem comatum, naſo aquilino, colore nigro, & qui cætera omnia habet diuerſa à figura quam diximus: nunquid ſi eum viderim, eum eſſe intelligam? Sed quid opus eſt in minoribus immorari obiectionibus, omiſsis validioribus? Quis enim neſcit humanam naturam fluxui eſſe ſimilem, qui ab ortu ſemper vſque ad mortem procedit per motum aliquem, tunc à motu ceſſans, quādo eſſe deſierit? Ipſe autem motus non eſt per locum tranſitus: à ſe enim non excedit natura, ſed habet progreſſum per alteratio-

Digitized by Google

nem . Alteratio autem quandiu fuerit id quod dicitur, nunquam manet in eodem. Quomodo enim in eo quod ſit idem conſeruari potuerit id quod alteratur?Sed quo modo ignis qui eſt in lucerna, ſpecie quidē ſemper videtur idem : motus enim continuatio eum oſtendit ſemper indiuulſum & ſibi vnitū : re vera autē ipſe ſibi ipſi ſemper ſuccedens nunquam manet idem: per calorem enim extractus humor ſimul & inflammatur,& exuſtus trāsformatur in caliginē: & ſemper alterandi facultate flāmæ motus operatur in fuliginē,per ſe agēs in ſubiectū. Quo modo ergo fieri non poteſt,vt bis in eodē loco flammā tāngens,eandē bis cōtingat : celeritas enim alterationis non expectat eū qui tāgit iterū, & ſi hoc faciat quàm citiſsimè,ſed ſemper eſt flamma noua & recens, vt quæ ſemper generetur, & ſe ſemper excipiat & ſibi ſuccedat,& nunquam in eodem maneat. Tale quidpiam vſu venit etiam naturæ noſtri corporis . Quod enim noſtræ naturæ affluit & effluit, quod per alterandi facultatem ſemper ambulat & mouetur,tunc ſiſtitur quando viuere deſierit. Quandiu autem fuerit in vita , non habet ſtatū . Aut enim impletur,aut perſpiratur,

aut

aut per vtraque omnino ſemper traducitur. Si ergo nec eſt omnino quiſpiam idem qui heſternus, ſed fit alter mutatione: quando corpus noſtrum ad vitam rurſus reduxerit reſurrectio, qui eſt vnus fiet omnino quidam hominum populus, vt eius qui reſurgit nihil deficiat, fœtus, infans, puer, adoleſcens, vir, pater, ſenex, & omnia quæ ſunt intermedia. Cùm autem temperãtia & intemperantia per carnem exerceatur, & qui pro pietate perpetiũtur dolores ſuppliciorum, & qui ad eos molles ſunt & eneruati, oſtendantur per corporeum ſenſum vtrorumque horum: quo modo fieri poteſt vt in iudicio ſeruetur quod iuſtum eſt, ſi in eodem qui nunc quidem peccauit, rurſus autẽ ſeipſum expurgauit pœnitentia, & rurſus fortè ad idem delictum ſit delapſus, mutatum autem ſit ex naturę conſequentia pollutum corpus & impollutum, & eorum alterũ non ſuffecerit in perpetuũ: cuiuſmodi corpus punietur intemperãti, ídne quod in ſenectute incuruatum eſt ad mortẽ? ſed ab eo erat diuerſum id quod fecit peccatũ. At id quod perturbatione animi fuit inquinatum? Et vbi eſt ſenex? Aut enim hic non reſurget, & non erit efficax reſurrectio: aut

Digitized by Google

ſuſcitabitur,& pœnam effugiet is qui pœnæ eſt obnoxius. Dicámne etiam aliquid eorũ quæ obiiciuntur nobis ab iis qui quod de reſurrectione dicitur nõ admittunt? Ex partibus, inquiunt, quæ ſunt in noſtro corpore, natura nullam fecit otioſam. Nam aliæ quidem habent cauſam & facultatẽ viuẽdi, ſine quibus conſtare non poteſt vita per carnem, vt cor, iecur, cerebrum, pulmo, venter, & cætera viſcera. Aliæ autem ſentiendi motui ſunt attributę. Aliæ autem ſunt operationis agendi & tranſeundi. Aliæ autem ſunt aptæ ad hoc vt ſuccedant poſteri. Si ergo quæ ſequetur vita erit in iiſdem, ad nullum vſum fiet reſurrectio. Si autem vera eſt oratio, vt certè vera eſt, quæ ſtatuit nõ futuras nuptias in vita quę erit poſt reſurrectionẽ, nec cibo & potu vitam tunc eſſe continendam: quíſnam erit vſus partium corporis, cùm in vita illa non ampliùs ſperentur, propter quæ nunc ſunt membra? Si enim nuptiarum gratia ſunt quæ pertinẽt ad nuptias: quando illud non fuerit, nec iis quæ ad illud pertinent opus habemus. Ita etiam manus ad opus, & pedes ad curſum, & os ad cibum ſuſcipiendum, & dentes ad alimenti miniſterium, & viſcera ad cõcoctionem,

&

& ad eiicienda ea quæ ſunt reddita inutilia tranſmittentes meatus. Quando illa non fuerint quæ propter illa fiunt, quomodo erunt, aut quānā de cauſa? adeò vt neceſſe ſit ſi non ſint quidem corpora ſuperuacanea, ad nihil eorum quæ ad illam vitam pertinent, opem latura, nihil eſſe eorum quæ nobis corpus complent: in aliis enim eſt vita: nec id ampliùs nominandum fuerit reſurrectio, cū ſingula mēbra, propterea ꝙ in illa vita nulli ſint vſui, in corpore nō cōſiſtant. Sin autē per omnia erit eorū efficax reſurrectio: quę ad illam vitam ſunt inania & planè inutilia, fabricabitur is qui efficiet reſurrectionem. Atqui oportet credere eſſe & reſurrectionem, & eam nō eſſe inanem. Orationi ergo eſt attendendum, vt nobis per omnia in dogmate ſeruetur id quod eſt cōſentaneum. MAC. Cùm ego autem hæc diſſeruiſſem, Satis ſtrenuè, inquit magiſtra, ex ea quæ dicitur Rhetorica, argumentatus es aduerſùs dogmata reſurrectionis, confutatiuis rationibus in veritatem circunquaque probabiliter irruens: adeò vt qui veritatis myſterium non ſatis conſiderant, oratione, vt eſt veriſimile, nonnihil moueantur, & exiſtiment non ſecus quàm par ſit iis

quæ dicta ſunt illatam eſſe dubitationem
Veritas autem, inquit, non ſic habet, etian
ſi non poſsimus, inquit, ex ſimilibus in ora
tione contrà Rhetorico vti artificio. Se
vera quidem de his oratio recondita eſt i
occultis theſauris ſapiẽtię tunc in apertun
proditura, quando re ipſa didicerimus my
ſterium reſurrectionis: quando non am
pliùs opus erit verbis ad ea quæ ſperantu
declaranda. Sed quo modo cùm noctu à v
gilantibus multi mouentur ſermones d
ſplendore ſolis qualis ſit, facit otioſam &
inanem ſermonis deſcriptionem apparen
tantùm gratus nitor radij: ita omnem cog
tationem quæ per coniecturam futurũ ſta
tum attingit, pro nihilo oſtendet quan
do nobis ipſa fuerit experientia id quo
expectatur. Quoniam autem oportet no
omnino inexaminata relinquere. argu
menta quæ contra nos ſunt allata, ſic d
iis tractare incipiemus. Oportet primùn
intelligere quíſnam ſit ſcopus dogmatis d
reſurrectione, & quánam de cauſa id à ſan
cta ſcriptura dictum eſt & creditum. Erg
vt definitione id quiſpiam comprehendẽ
deſcripſerit, ſic dicemus. Reſurrectio eſt na
turæ noſtræ in priſtinũ & qui ab initio fui
ſtatun

Digitized by Google

ſtatum reſtitutio. Sed in prima vita cuius fuit ipſe Deus opifex, neq; erat ſenectus, vt eſt conſentaneum, neq; infantia, neque variorum morborum affectiones, neque vlla alia corporis afflictio. Neque enim eſt conſentaneum hæc Deũ fabricari, ſed res quædã diuina erat humana natura, prius quàm impetus hominem ad malũ incitaſſet. Hæc autẽ omnia ſimul cum ingreſſu mali in nos irruerunt. Vita ergo quæ eſt ſine vitio, nequaquam neceſſe habebit in iis verſari quæ propter ipſum euenerũt. Quo modo enim qui per gelu ambulat, conſequitur vt corpus ei refrigeretur, aut qui per calidum ingreditur radium, vt nigreſcat eius ſuperficies: ſin autem fuerit extra vtrunque eorum, liberatur omnino à nigrore & refrigeratione: nec iure requiſierit quiſpiam quod euenit ex aliqua cauſa, ſi non ſit cauſa. Ita natura noſtra effecta patibilis conflictatur cum iis quæ neceſſariò tolerabilem conſequuntur naturã. At recurrens ad beatitudinem paſsione carentem, non ampliùs cum iis quæ vitium ſequuntur, conflictabitur. Quoniam ergo quæcunque ex vita rationis experte humanæ admixta ſunt naturæ, non priùs fuerunt in nobis, quàm homo
Digitized by Google

in affectionem caderet per vitium neceſſa
riò relicta affectione, omnia quoque ſimu
relinquemus quæ cũ ipſa cernũtur. Quam
obrem non iure quiſquam in illa vita quæ
ſierit ea quæ euenerunt nobis ex affectio
ne. Quomodo enim ſi quis pãnoſa ac lace
ra indutus tunica,indumento ſe exuerit, e
ius quod fuit eiectũ non ampliùs in ſe vide
rit turpitudinem : ita etiam cùm nos exue
rimus mortuam illam & deformem tunic
ex rationis expertibus pellibus nobis inie
ctam. Pellem autem audiens, mihi video
audire figurã naturæ expertis rationis, qu
induti ſumus protoplaſto aſsimilati. Pelli
autẽ expertis rationis ſunt hæc omnia, coï
tus,conceptio, partus, ſordes, mamilla, ali
mẽtum,excretio,quod fit paulatim ad per
fectum incremẽtum,vigor ætatis, ſenectus
morbus,mors. Si illa ergo in nobis nõ erit
quomodo nobis relinquentur quæ ex e
proficiſcentur? Cùm ergò aliquis alius ſta
tus ſperetur in vita futura, vanum eſt pe
ea quę cum ipſa nihil habent commune,ar
gumentari aduerſùs dogma reſurrectionis
Quid enim habet commune incuruitas &
corpulentia, tabéſque & repletio, &
quid aliud accidit fluxæ naturæ corporum

cum

cum ea vita quæ eſt aliena à fluxo & celeriter tranſeunte vitę curſu? Vnum ſolum poſtulat ratio reſurrectionis, vt natus ſit homo per generationem, vel potiùs, vt dicit Euangelium, vt homo natus ſit in mundo. Longę'ne autem an breuis vitę fuerit, & an vel hoc vel illo mortis genere ei mori contigerit, fruſtra inquiritur in reſurrectione. Quomodocunque enim hoc ſe habere dederimus per hypotheſin, nihil omnino refert, cùm ex hac differentia nec difficilior nec facilior ſit reſurrectio. Eum enim qui cœpit viuere, viuere omnino oportet ea quæ ipſi per mortem intercesſit diſſolutione, correcta in reſurrectione. Quomodo autem aut quando fiat diſſolutio, quid hoc ad reſurrectionem? Ad alterum enim intuetur ſcopum quæ ſuſcipitur de eo conſideratio: vt pote, in voluptaténe an mœſtitia vixerit quiſpiam, ex virtute an vitio, laudandus an culpæ affinis, miſerabilitérne an feliciter beatéque tēpus tranſegerit. Hæc enim omnia & quę ſunt huiuſmodi, inueniuntur ex modo & ex genere vitæ: & ſic ad ferendum de vita iudicium, iudici neceſſe fuerit ſcrutari affectionem & detrimētum, morbúmque & ſenium, & adoleſcentiam & iuuen-

Digitized by Google

tutem,& diuitias & paupertatem:quema
modùm cùm ſingula horum cuipiam ob
giſſent,benè an malè aſsignatã ſibi vitã tr
ſegerit: & an multorũ bonorum vel mal
rũ longo tempore fuerit capax,an ne init
quidem horum vtriuſque attigerit, vt q
ingenio nondum perfecto viuere deſier
Quando autem ad primam hominis co
ſtitutionem Deus per reſurrectionem n
turam reduxerit: vanum fuerit hæc dic
re, & per ea arbitrari Dei potentiam à ſc
po impediri. Eſt autem ei vnus ſcopu
iam impleta per ſingulos homines vn
uerſa noſtræ naturæ plenitudine, aliis qu
dem ſtatim in hac vita à vitio expurgat
aliis autem poſteà per ignem quibus co
uenit curatis tẽporibus, aliis autem qui
æquo bonũ & malũ in hac vita ignorarũ
omnibus proponere participationem b
norum quæ ſunt in ipſo, quæ quidem di
ſcriptura neque oculum vidiſſe, neque a
rem audiuiſſe, neque cogitatione ea con
prehendi poſſe. Hoc autem nihil eſt aliu
mea quidem ſententia, quàm in ipſo De
eſſe. Bonum enim quod aurem & oculu
& cor ſuperat, ipſum eſt quod eſt vniuer
ſuperius. Eius autẽ quod eſt ex virtute v

vit

vitio differentia, in futura vita ex hoc maximè oſtendetur, quòd citiùs vel tardiùs fiant participes ſperatæ beatitudinis. Vnicuique enim innati vitij modo proportione reſpondebit omnino medicinæ longitudo. Animæ autem medicina fuerit, vitij purgatio. fieri autem non poteſt vt ea rectè fiat abſque affectione dolorem afferente, ſicut fuit examinatum in iis quæ præceſſerunt. Magis autem intellexerit quàm ſint ſuperflua & inepta argumenta, qui deſpexerit in profundum ſapientiæ Apoſtolicæ. Corinthiis enim de his declarans myſteriũ, cùm ij fortè eadem eis obiicerent, quæ afferuntur nunc ab iis qui aduerſùs dogma argumentantur, ad ea euertenda quæ credũtur, ſua auctoritate eorum inſcitiæ reprimens audaciam, ſic dicit, Dices ergo mihi, quomodo ſuſcitantur mortui? quónam autem corpore veniunt? Inſipiens, inquit, tu quod ſeminas non viuificatur niſi mortuũ fuerit: & quod ſeminas, non corpus quod futurum eſt ſeminas, ſed nudum fortè granum frumenti, vel alicuius alterius ſeminis. Deus autem dat ei corpus ſicut voluërit. Hîc enim mihi videtur os obſtruere iis qui ignorant conuenientem menſuram reſur-

rectionis,& ex ſuis viribus diuinam metiũtur potentiam,& exiſtimant id quod Deus poteſt,tale eſſe,quantum capit humana cõprehenſio: id autem quod eſt ſupra noſtras vires, Dei quoque ſuperare potentiã. Qui enim rogauit Apoſtolum, Quomodo ſu-
1.Cor. ſcitantur mortui, pronuntiat tanquã quòd
15. nulla ratione fieri poſsit,quòd diſperſa elementa corporis rurſus coëant, & tanquam hoc non poſſet, ſed ne reliquum quidem eſſet corpus ad concurſum elementorũ, hoc dicit, ſicut periti Dialectici, per quandam concludens conſequentiam ea quæ poſuerat, Si corpus eſt concurſus elementorum, fieri autem nõ poteſt,vt eorum iterum fiat coïtio, quódnam corpus habebunt qui reſurgunt? Hoc ergo quod videbatur eis eſſe contextum per artificioſam quandam ſapientiam, nominauit inſipientiam eorum qui in reliquis rebus creatis non viderunt excellentiam diuinæ potentiæ. Dei enim altioribus relictis miraculis, per quę poterat dubitantem & perplexum reddere auditorem: vt, verbi cauſa, Qualénam ſit corpus cœleſte, & vnde? Quid autem corpus ſolis vel lunæ, vel id quod apparet in aſtris, quid æther, aër, aqua, terra ex iis quæ

ſunt

ſunt nobis magis domeſtica & communia, refellit inconſideratam eorum qui argumẽtantur obiectionẽ, Ne te quidẽ, inquit, docet agricultura, quòd eſt ſtultus qui ex ſe metitur excellentiã diuinæ poteſtatis? Vndénam ſeminibus adnaſcuntur corpora? Quid ea autem deducit ad germinandum? Nunquid mors? Mors eſt eius quod conſtitit diſſolutio. Nunquam enim peruenerit ſemen ad hoc vt producat, niſi fuerit in gleba diſſolutum, & rarefactum multos habuerit meatus, vt ſua qualitate terræ humori admiſceatur, & ſic in radicem trãsformetur & germẽ, & nec in eo maneat, ſed mutetur in calamum, intercedentibus genibus tanquam quibuſdam vinculis ſuccinctũ, vt recta figura ferre poſsit ſpicam fructu onuſtã. Vbi ergo hæc erant in frumento, priuſquã id in gleba diſſolueretur? Atqui hoc eſt illinc. Si enim illud priùs non fuiſſet, ne facta quidem eſſet ſpica. Quo modo ergo, quæ in ſpica ſunt corpora naſcuntur ex ſemine, ex illo ipſo hoc artificioſè diuina efficiente potentia: & neque eſt omnino idem quod ſemen, nec omnino diuerſum: ita, inquit, myſterium quoque reſurrectionis iam tibi priùs eſt expoſitum per miracula quæ fiunt

in ſeminibus, diuina virtute, exuberãte ſ
poteſtate, non ſolùm tibi reddente ill
quod eſt diſſolutũ, ſed alia quoque mag
& pulchra tibi addente, per quæ tibi ad
quod eſt magnificentius conſtruitur na
Ibidem ra. Seminatur enim, inquit, in corruptio
ſurgit in incorruptione. Seminatur in in
mitate, ſurgit in virtute. Seminatur in ig
minia, ſurgit in gloria. Seminatur corpu
nimale, ſurgit corpus ſpirituale. Quo mo
enim quod erat in gleba frumentum, p
quàm fuerit diſſolutum, relicta quæ era
quãto breuitate, & quæ in quali figuræ
proprietate, ſeipſum non dimiſit, ſed in
manens fit ſpica, ipſum à ſe multum diffe
magnitudine, & pulchritudine, & vari
te, & figura: eodem modo humana q
que natura, in morte relictis omnibus
proprietatibus, quas per patibilem ac
ſierat affectionẽ, ignominia, inquam,
ruptione, infirmitate, ætatum diſcrim
ſeipſam non dimiſit: ſed veluti ad quã
ſpicam, trãſit ad incorruptionem, glori
que & honorem & virtutem, & quæ e
omnibus perfectionem, & ad id quod
eius non ampliùs naturalibus regitur p
prietatibus, ſed tranſit ad ſpiritalem qu

dam ſtatum & impatibilem. Hæc eſt enim animalis corporis proprietas, per quendam fluxum & motũ ex eo in quo eſt alterari & mutari in alterum. Quæ enim nunc videmus non ſolùm in hominibus, ſed & in plantis & in pecoribus, eorum in ea quæ tunc erit vita nihil relinquetur. Videtur autẽ mihi oratio Apoſtolica omnino ſuffragari ſententiæ noſtræ de ruſurrectione, & id oſtendere quod noſtra continet definitio, dicẽs nihil aliud eſſe reſurrectionem, quàm noſtræ naturæ in veterem & qui fuit ab initio ſtatum reſtitutionem. Quoniam enim in primo ortu mundi hoc à ſcriptura didicimus, quòd terra primùm produxit herbã fœni, ſicut dicit hiſtoria: deinde ex germine ortum eſt ſemen: quod cùm in terram defluxiſſet, eadẽ rurſus exorta eſt ſpecies eius quod natum eſt ab initio. Hoc diuinus Apoſtolus dicit etiam fieri in reſurrectione. Non ſolùm autem hoc ab eo docemur, quòd homo traducitur ad id quod eſt magnificentius, ſed etiam quòd id quod ſperatur, nihil eſt aliud quàm id quod erat in principio. Quoniam enim quod fuit ab initio, non erat ſpica ex ſemine, ſed illinc ſemen: ea autẽ poſteà ſemini adnaſcitur: aper-

Digitized by Google

tè indicat exempli conſequentia, quòd vn
uerſa quæ per reſurrectionem nobis germ
nauit beatitudo, reuertitur ad eam gratia
quæ fuit ab initio. Nam nos quoque cù
ab initio eſſemus quodammodo ſpica, a
dore vitij exaruimus. Cùm autem nos po
mortem ſolutos terra exceperit, per ver r
ſurrectionis, hoc nudum granum corpor
ſpicam reddet procerã teretémque & er
ctam, & in cœleſtem porrectam altitudin
pro calamo vel ſtipula ornatam incorr
1.Cor.15 ptione & reliquis diuinis ſignis. Oportet
nim, inquit, hoc corruptibile induere inco
ruptionem. Incorruptionem autem glor
& honorem & virtutem conſtat eſſe pr
pria diuinæ naturæ, quę quidem priùs era
in eo qui factus eſt ad imaginem, & rurſ
ſperantur. Prima enim ſpica erat primus h
mo: ſed quando ingreſſu vitij in multit
dinem diuiſa eſt natura, quo modo fit fr
ctus in ſpica, ita ſinguli priuati forma q
erat in illa ſpica, & terræ immixti, in reſurr
ctione renaſcimur in prima, in qua ab init
nati fuimus, pulchritudine, pro vna prin
ſpica facti ſegetum multitudo innumerab
lis. Vita autem acta ex virtute in hoc dif
ret à vitio, quòd qui in hac quidem vita

virtu

virtute excoluērunt, ij in perfecta ſpica naſcuntur protinus. Quibus autē per vitium euanĭda & ſubuētanea fuit in hac vita virtus quæ erat in animali ſemine, ſicut quę dicuntur κερασβόλα eſſe dicunt horum periti, ij, & ſi renaſcūtur per reſurrectionem, magna agricolæ opus habent cultura, ad hoc vt conuenientibus temporibus vix tandem redeant ad formā ſpicæ, & fiant illud quod eramus prius quàm caderemus in terram. Cultura autem eius qui præeſt germinibus, eſt zizaniorum & ſpinarum collectio, quæ natæ ſunt in ſemine, vniuerſa quæ radicem nutriebat virtute adulterata, quò factum eſt vt minimè nutritū & imperfectū maneret ſemen germanū, ſuffocatū germinatione, procreationéque ſeminis quæ fit pręter naturā. Poſtquàm ergò quicquid eſt adulterinum & à nutrimento alienum fue-

Apud agricolas ſemina quæ prius quàm in terram decidāt, incidūt in cornu boum, κερασβόλα dicūtur

παρὰ τὸ εἰς κέρατα βάλλεσθαι. Quæ quidē proueniunt cæteris multò ſicciora & duriora, vnde & ἀτεράμονα vocantur. Hac voce vtitur Plato lib. 9. de Legibus. Cur autem id accidat, vt ſemina quæ in cornua boum impegerint, duriora proueniant, vide apud Plutarchum in Sympoſiacis, decade ſeptima, problemate ſecundo. Theophraſtus dubitat num friuolum ſit quod de cerasbolis iactant agricolæ.

rit auulſum & deletum, igne id cõſumen
quod eſt præter naturam,tunc bonæ hab
tudinis & ſucculenta eis euadet natura,
berémque & opimum fructum produc
cùm per hãc culturam poſt longa tempo
curricula, communem formam quæ nob
ab initio data eſt diuinitùs receperit . Be
autem ſunt ij quibus ſtatim exoritur p
fecta ſpicarum pulchritudo, cùm naſcunt
per reſurrectionem. Hæc autem dicim
non quòd vlla corporalis differentia in
qui ex virtute vel vitio vitam egerunt
apparitura in reſurrectione : vt alterũ q
dem exiſtimemus corpore imperfectum
terum verò habiturum perfectionem. S
quo modo in vita, & qui eſt in vinculis,
qui eſt ſolutus, ambo quidẽ ſe habent c
pore ſimiliter: magna eſt autem inter vt
que,quod ad voluptatem & triſtitiam a
net,differentia : ita exiſtimo eſſe reput
dam bonorum & malorum differenti
in futuro tempore. Perfectio enim corp
rum quæ renaſcuntur ex corruptione, d
tur ab Apoſtolo fieri in incorruptione
gloria, & honore, & virtute. Horũ aut
diminutio, non ſignificat corporalem
eius quod natum eſt mutilationem ,
vniuſ

Digitized by Google

vniuſcuiuſque eorum quæ ex bono intelligũtur priuationem & alienationem. Quoniam ergo in nobis vnum omnino eſſe oportet ex iis quæ intelliguntur per oppoſitionem, nempe bonum vel malum, clarum eſt quòd dicere aliquem in bono non eſſe, omnino oſtendit quòd ſit in malo. Atqui ſi in vitio non eſt honor, nõ gloria, nõ incorruptio, non virtus: neceſſe eſt omnino vt in quo hæc non ſunt, non dubitemus in eo ea eſſe quæ his intelliguntur aduerſari: nẽpe imbecillitatem, ignominiam, corruptionem, & quæ ſunt huius generis. Quæ quidem anteà diximus, quòd ſunt animæ ex vitio affectiones ad auferẽdum difficiles, per totam ipſam contemperatæ & permiſtæ, & cum illa vnum effectæ. Iis ergo quæ ſunt huiuſmodi per ignis medicinam expurgatis & expiatis, in eorum locum ſuccedet vnumquodque eorum quæ ſunt præſtantiora: nempe incorruptio, vita, virtus, honor, gratia, gloria, & ſi quid aliud coniicimus inſpici in Deo & in eius imagine, quæ eſt humana natura.

FINIS.

PRIVILEGIVM.

CAutum priuilegio Regio D. Danieli Augentio dato, & conceſsione per eundem Augentium Ægidio Gorbino Bibliopolæ Pariſiẽſi vſque in decennium proximè futurum facta, ne infra hoc tempus liceat alij excudere aut vendere.

Digitized by Google

RERVM INSIGNIORVM quæ in hoc dialogo contentæ ſunt, Index locupletißimus, iuxta ordinem Alphabeti.

A.

ADmiranda cœli terræque miracula. 11
Ad quid hominem fecerit Deus. 83
Aenigmatibus eorum quæ fiebant in veteri teſtamento veritas ſignificabatur. 107
Aër ſua ſubſtantia refertus & plenus eſt. 21
Affectiones velut quædam verrucæ animæ ſunt ex cogitatrice parte animi enatæ. 40
Affectiones animi ad id quod eſt melius bonis viris conferunt. ibidem
Affectiones ſunt in bonum humanæ naturæ attributæ. 44
Affectiones virtutis vel vitij inſtrumenta ſunt. ibidem.
Affectiones animi neque virtutes neq; vitia ſunt. 48
In immutabili locũ non habet affectio. 92
Affectio tum demum in nobis eſt, quando abeſt quod expectatur. 75
Affectione corporis relicta, omnia quoq; ſimul relinquimus quæ cũ ipſa cernũtur. 122

Digitized by Google

Affectiones non aliter dominantur in nobis, atque in rege puſillo abiectóque animo ſerui. 49
Alienum eſſe à definitione reputatur quod proprium non eſt. 37
Altare templi Iudæorum exornatum erat quibuſdam cornuum prominentiis. 108
Alteratio quandiu fuerit id quod dicitur, nunquam manet in eodem. 116
Animæ vera definitio ex Gregorio. 15
Animæ operationes. 32
Anima noſtra cùm Dei ſimilitudo ſit, quidquid à Deo alienum eſt, extra animæ eſt definitionem. 35
Animam non eſſe in elementis. 7
Animam materiæ expertem & incorpoream. 14
Anima eſſentiæ quæ percipitur eſt imago, non eſt tamen idem quod exemplar. 27
Anima ex æquo eſt elementis per coïtionẽ temperatis: diſſoluta etiam temperatione manet. 31
Anima per ſuam contemperationem cum vniuerſitate, ea quæ ſunt continet in eſſentia. 55
Animæ eius qui in carne vixit poſt diſſolutionem rurſus alia morte opus eſt, quę glu

tini

Digitized by Google

tini carnalis expurget reliquias. 68
Animam corpore ſolutam ſi quondam carnali vitæ nimiùm addicta fuerit, deſyderio errare in locis materiæ, circum quam & eam quoq; verſari putat Gregorius. 69
Anima niſi fuerit à brutalibus voluptatibus liberata, à boni contemplatione impedietur. 71
Anima quodammodo imitatur ſupereminentem ſcientiam. ibidem
Anima Deo ſimilis facta, non ampliùs ſpei memoriæque locum dat. 74
Anima vniformis & Deo ſimilis verè ſimplex & materiæ expers bonum aſſequitur. ibidem
Anima ſola ſeruare videtur characterem diuinæ beatitudinis. 76
Animarum vitium igne expurgandum. 78
Animam non id eſſe quod ſenſus comprehendit. 24
Animis per ignem expurgatis, quæ ſuccedunt. 133
Animam expurgatam qui habēt, ſtudio & deſyderio vitæ ex virtute agendæ tenebuntur. 97
Anima vt quæ ſit diuinitùs conſtituta, extra vitij eſt neceſſitatem. ibidem

Digitized by Google

Anima ſuo arbitratu ducitur ad id quod videtur. 97
Animæ medicina vitij purgatio eſt. 125
Anima corpore ſoluta tranſit ad incorruptionem gloriámque & honorem & virtutem. 128
Anima corpore ſoluta, non ampliùs naturalibus regitur proprietatibus. Idem dixeris de exſuſcitato corpore. ibidem
Animæ purgatio fieri non poteſt ſine affectione dolorem afferente. 125
Anima corpore ſoluta ad ſpiritalem quendam ſtatum & impatibilem tranſit. Idem de exſuſcitato corpore dicere poteris. 128
Quantum ſpectat ad animæ rationem, ſcripturæ ſacræ credendũ, nõ Philoſophis. 35
Anima ſoluta corpore incorruptionem induet, id eſt gloriam & honorem & virtutem. 130
Animalis corporis proprietas per quẽdam fluxum & motum ex eo in quo eſt alteratur & mouetur in alterum. 129
Ante primi parentis lapſum, res quædã diuina erat humana natura. 121
A quo & cuius rei cauſa ſolutis corpore animis inferatur ſupplicium. 79
Ars quid. 23
Arti-

Digitized by Google

Artificium & virtute Dei, quæ in cœlis terráque facta ſunt nobis oſtendunt. 13
Audacia quid. 39

B.

BEati in reſurrectione renaſcentur in ea in qua primùm fuerunt pulchritudine. 130
Bonum & malum æquiuocè dici. 64
Bonum & malum duplici notione diuiduntur, mente ſcilicet & ſenſu. ibidem
Bonum ſupremum in ſe aſpiciens & vult quod habet, & habet quod vult. 73
Bonum ſupremum nihil eorum quę extrinſecus ſunt ſuſcipit. ibidem
Bonum quod oculum, quod aurem, quod cor ſuperat, ipſe Deus eſt. 124
Boni diuini participatio maiorem & capaciorem facit eum in quo eſt. 84
Bonus animę ſtatus in quo tolerantiæ athleta quieſcit, verè ſinus Abrahæ dici poteſt, 65

C.

CAſus fit per vitium. 93
Carnalis hominis anima expiatur poſt mortem, multa corporali ęgritudine eam ad ſe attrahente. 68
Circulus eſt ſemper qui ſemper vertitur per

Digitized by Google

ſimilia. 91
Commune nnnquam idem quod propriũ eſſe poteſt. 37
Compoſitio acceſſus eſt ad eſſentiam qui fit per generationem. 104
Compoſiti natura. 7
Continuus indiuulſúſque eſt cœleſtis polus, ſuóque orbe omnia continet. 50
Contrahi & diffundi corporum proprium eſt. 30
Corpus quid ſit. 10
Corporis diſſolutio quid ſit. 29
Corpus fit concurſu & vnione eorum quæ in corpore ſunt. 101
Corporis animalis proprietas. 128
Corporum duntaxat proprium eſt eſſe in loco. 52
Corporeæ naturæ proprium. 32
Perfectio corporũ que renaſcentur ex corruptione, fiet in incorruptione, id eſt in gloria & honore. 132
Cui minus admixtum eſt fœni materialis, minus infertur ſupplicium. 80
Cupiditas quid. 38
Cupiditatis & voluptatis operationem in nulla præclara & excelſa re verſari. 45

Digitized by Google

141

D.

DEbitorem tradi tortoribus in Euangelio quid ſit. 81
Debitorũ redditio non fit ex ſolutione pecuniæ in Euangelio, ſed debitor traditur tortoribus. ibidem
Definitionem omnem ſubſtantiæ intueri debere ad id quod propriũ eſt ſubiecti. 36
Deus bonum eſt amabile & ſemper diligendum. 74
Deus omnia fit iis qui ſunt digni. 82
Dei vnus eſt ſcopus. 123
Deum refert eorũ quæ facta ſunt creatio. 11
Dialectica cur vocetur curioſa. 35
Dialectices peritia mẽti noſtræ imponit, & aberrare ſimul à veritate nos facit. 36
Dilectio quid ſit. 74
Dilectio tametſi animi affectio ſit, nos cum Deo iungit. 48
Diſcernendi & cõtemplandi facultas eſt ſecundùm propriam animæ naturam. 41
Diſſolutio quid. 7
Diues epulo ſe adhuc carnalem oſtendit in Euangelio 68
Diuina prouidentia enaſci in ſpica ſemen, ei quod corruptum fuit, ſimile. 127
Diuinum quodcunque ſecũdùm naturam

eſt. 41
Dogmate nullo, ſed fide, diuiníſque iuſsis adducimur, vt immortalē credamus animam. 5
Dogmata ſacra per ſyllogiſticam & analyticam ſcientiam confirmari non debent. 35

E.

EA quæ ſunt, in intelligentia & corporea diuiduntur. 100
Elemētorum virtus & natura. 11
Elementorum compage ſoluta, omnia redeunt ad id quod ſibi propriū eſt & conueniens. 7
Elementis in homine reſolutis, non periit quod ea per vitalem operationem colligabat. 28
Elementorum diuerſitas tracta ab vna animæ facultate, facit vt iis quæ propria ſunt, repentè occurrant. 59
Eorum quæ ſunt vna eſt cauſa. 99
Eorum quæ in corpore ſunt concurſu & vnione fit corpus. 101
Epicurus caſu factam naturā exiſtimabat. 8
Epicurus ad corporea & ea quæ ſub ſenſum cadunt, ſolùm reſpiciebat. ibidem
Epicurei & quicunque ſunt puſilli & abiecti animi, terram elemētáque alia ſolùm ſuſpi-

143
ſuſpiciunt & intuentur. 9
Epicurei mundum aſpiciunt, per eum tamen mundi conditorem non contemplantur. ibidem
Eſt ſemper circulus qui ſemper vertitur per ſimilia. 91
Exhortatio ad virtutem. In præfat.
Ex iis quæ apparent, minimè facta eſſe quę videntur. 98
Expurgatum eſſe oportet animum, ante quàm familiare fiat quod eſt ſibi ſimile. 85
Ex quibus proficiſcuntur moleſtia & deſperatio. 39

F.

FEſtum propriè quid. 111
Feſtum ſcenopegiorum à Moſe conſtitutum. 107
Feſtum ſcenopegiorum per dictionem cõdenſationis Dauidē interpretari. ibidem
Fides fulcrum & ſuſtentaculum eſt incertitudinis eorum quę ſperantur. 75
Fide ſola intelligimus aptata eſſe ſęcula verbo Dei. 98
Finis pulchri nullus eſt. 76
Fruendi facultas otioſam & inanem reddit cupiditatem. 71

Digitized by Google

G.

GEneratio præcedit diſſolutionem. 104
Genus humanum propter innatum vitium eiectum fuit extra diuinum ſacri tẽpli ambitum. 109
Genus humanum aſperſionis lauacro purgatum, intra ſacri tẽpli ambitum admittitur. 110
Geometricæ demonſtrationes ducunt nos ad ea quæ ſenſum ſuperant. 19
Gloria, honor, & virtus propria ſunt diuinę naturæ. 130
Gregorius tenet vnum & idem eſſe conſtitutionis animæ & corporis principium. 102
Gregorius nullam cenſet apparituram differentiam corporalem in reſurrectione, ex iis qui ex virtute vel vitiis vitam egerunt. 132

H

HOmo quid ex Greg. Nyſs. 13
Homo μικρόκοσμος. ibidem
Homo vas eſt capax bonorum Dei. 83
Homo eſt quodam modo Deo proprius & conueniens. 77
Homo omnem vitalem ſpeciem complectitur. 43

Hominis mortui triſtiſsimus & miſerrimus habitus. 3
Hominis partes quæ viuendi cauſam habent & facultatem. 118
Homini ita comparatum eſt natura, vt per contemplandi & inueniendi facultatem multa cogitatione cõcipiat & faciat,& ad artem deducat per operationem. 20
Hominem primum pręceſsit natura eorum quæ ſunt rationis expertia. 42

I.

ID homo per materiã oſtẽdit,quod priùs mente agitauit. 21
Id non eſſe animam quod ſenſus comprehendit. 24
Id quod cœleſte & diuinum eſt, eſſe dicitur in immutabili. 92
Id quod ſperat homo, nihil aliud eſt quàm id quod erat in principio. 129
Iezechielis viſio,qua futura corporum cum animis hominum reſurrectio præſignificabatur. 111
Ignominia, imbecillitas & corruptio exſuſcitatos impios habebunt. 132
Imago Dei humana natura. 133
Impio & ſtulto non reſpondendum. 11
Impiorum animæ, bonorũ quę in reſurre-

ctione ſunt, priuationem patiuntur & alienationem. 132

Incorporeum omnino intelligens eſt. 33

Incuruitas, corpulentia, tabes, repletio, & quicquid fluxæ naturę accidere poteſt, nihil habent commune cum vita quæ eſt à fluxu aliena. 122

Infernum non locum, ſed quendam vitæ ſtatùm formæ expertem & incorporeum ſecundùm Gregorium. 67

Intelligens eſt vbi vult abſque tempore. 62

In fruendis bonis attenta occupatio expellit memoriam. 74

In quo diſcrepent Gentiles Philoſophi & Chriſtiani ſuper reſurrectionis animæ ratione. 86

In eos qui ad diuerſas naturas faciunt animam tranſmigrare. 87

In immutabili locum non habet affectio. 92

In idem conſeruari non poteſt id quod alteratur. 116

In prima vita neque erat ſenectus, neque infantia, neque morborũ affectiones, neque vlla corporis afflictio. 121

In ſuſcitatis corporibus nihil eorũ erit quæ eueniunt ex affectione. 122

In hoc oſtenditur vitij & virtutis differentia in futura vita, quòd animæ citiùs aut

Digitized by Google

tardiùs fiant participes ſperatę beatitudinis. 125
In eos qui ex viribus ſuis diuinam metiuntur potentiam. 126
In creatis rebus maximè intelligitur excellentia diuinæ ſapientiæ. ibidem
In vitio non eſt honor, gloria, aut incorruptio. 132
Inſipientem vocat Paulus qui ex ſe metitur diuinæ poteſtatis excellentiam. 126
Ira quid. 38
Ira facit vt fortiter obſiſtamus aduerſùs diabolum qui colluctatur. 48
Ira & vis concupiſcendi, affectiones eſſe naturæ videntur, non eſſentiæ. 38
Iuſti hominis anima leuis & expedita ad bonum tranſit. 68

K.

Κερασβόλα ſemina quæ, & cur ſic vocata. 131

L.

Libertas quid ſit. 81
Libertatē arbitrij planè confitetur Gregorius. 72
Liberum ei quod ſibi ſimile eſt cōiūgetur. 82

M.

Malorum negatione bonū, bonorum ablatione malum indicari. 24

147

Digitized by Google

Manichęorum error. 100
Melioribus priuaremur ſi cupiditas noſtra penitùs euulſa eſſet cũ inutili germine. 48
Mens ſola videt,mens ſola audit. 16
Mens in homine quid aliud eſt præter id quod cernitur. 23
Mendacij inuentor in ſpeciem veri falſas concinnat opiniones. 5
Miracula multa Chriſtus Ieſus in terris effecit,veluti pręludia diuinę reſurrectionis. 112
Mors eſt eius quod conſtitit diſſolutio. 127
Mors ſemina deducit ad germinãdum. ibi.
Mortem omnes quantũ poſſunt,fugiunt. 2
Mortui cur non lugendi. 2
Moſes omnium ſuæ gentis hominum fuit mitiſsimus. 38
Moſes nihil concupiit eorum in quibus plęrique ſuam exercẽt cupiditatem. Ibidem
Motus non eſt per locum tranſitus. 115

N.

NAtura diuina eſt fons vniuerſæ virtutis. 82
Natura omnis inferna, affectionibus eſt obnoxia. 92
Natura eſt conſtructa ad id quod magnificentius eſt. 128
Natura diuina bonum ſuperat. 73
Natura quæ omnẽ ſuperat intelligẽtiã,lõgè
Digitized by Google

alio atque nos modo ſuã traducit vitã. 72
Natura ſiſtetur vbi ad ſuam peruenerit plenitudinem. 104
Natura à ſe non excedit, ſed habet progreſſum per alterationem. 115
Neceſſaria rerũ eſt conſequẽtia & ſeries. 83
Nemo idẽ hodie eſt qui fuit heſternus. 117
Nemo ſperat quod habet, memoriæque operatione indiget ad eorũ quę ſunt ſcientiam. 75
Nihil eorũ quę per ſe conſiderantur in corpore, corpus eſt. 101
Nihil relictũ eſt animę diuinis ĩformatę proprietatibus præter diligẽdi affectionẽ. 74
Nihil caſu fieri ſuáue ſpõte ex iis quæ fiunt à natura elementorum. 23
Nihil horum animam eſſe quæ in materia comprehenduntur. 25
Nihil exceptum eſt in anima quod non ſit diuinæ naturæ. 35
Niſi cadẽs in terrã frumentũ corrũperetur, ne ſpica quidem inde enaſceretur. 127
Non ſine magno myſterio olim arcebãtur gẽtes, & quicquid erat alterius generis ab externo templi ambitu. 108
Nõ aliter dominãtur in nobis affectiones, atque in rege puſillo abiectóque animo

Digitized by Google

ſerui. 49
Non eſſe abiiciendã vitę ſpem quæ permanſura eſt, & per quam ſuperat virtus. 6
Nullo indigebit anima, cùm vniuerſorum apprehenderit plenitudinem. 76
O
Oculus noſter interpres eſt omnipotentis ſapientiæ. 13
Omnis natura vim attrahendi habet quæ ſunt propria & conuenientia. 77
Operis huius commendatio. In præfat.
Oportet adulterinũ & à nutrimẽto alienũ priùs auelli & igne deleri, quàm anima noſtra beatitudinem aſſequatur. 131
Optima ſimilitudine reſurrectionem probat & defendit Gregorius. 56
Oratione & ratione immodeſtum & inſolentem animum tanquam freno reprimi & moderari. 2
P
PArabolam zizaniorum doctiſsimè interpretatur Gregorius. 48
Partium quæ in homine ſunt facultates, officia & effecta. 118
Pellem, id eſt, figurã naturæ expertis rationis induti ſumus ob vitium. 122
Per quæ fiat naturæ quæ in nobis abſcõdita eſt comprehenſio. 19

Philoſophia chriſtiano homine digna. In præfat.
Pontifex magnus adytum ſolus ingrediebatur. 108
Prouidentiam negauit Epicurus. 8
Propoſitiones impias indignas eſſe reſponſione. 11
Pulchrum natura eſt quod cognoſcitur. 76
Pulchrum per ſe & plenitudo bonorũ omnium, Deus. 73
Pulchra anima cũ Deo copulabitur, vt cũ eo quod ſibi propriũ eſt & accommodatũ. 71
Purgari per ignem animos affirmat Gregorius. 124
Purgationem animarũ exutarũ apertè confitetur Gregorius. 68

Q.

QVæ animis per ignem expurgatis ſuccedunt. 133
Quę in homine poſt reſurrectionem iudex ſcrutabitur. 123
Quæ propria ſunt pellis rationis expertis qua ſumus induti. 122
Quæ eſt perfecta animę cum Deo aſsimilatio. 71
Quam emphaſim habeat dictio condenſationis in Pſalmo 103. 108

Quare anima elemẽtis cõmiſceri nequeat. 7
Quare mortuos lugere vetat ſcriptura. 2
Quare in natura eſſe nõ videãtur ira & vis concupiſcendi. 38
Quare animi affectiones ab ei⁹ natura alienæ dici debeant. 41
Quare in Geneſi vltima narretur hominis creatio. 42
Quare pulchri nullus finis ſit. 76
Quare ſummum pulchrum infinitũ ſit & interminatum. ibidem
Quare anima neceſſariò trahatur ad id quod eſt ſibi diuinum & cognatum. 77
Quando commune feſtum iis qui per reſurrectionẽ condenſati erũt, cõſtituetur. 110
Quãdo in pulchro verè eſſe dicatur anima. 71
Quãdo in animi morbum ac perturbationem conuertuntur appetitiones. 45
Quãdo affectiones animi, perturbationes & ægritudines dicantur. 49
Quando animi affectiones laudum materia ſunt, & qui iiſdem ad virtutem vſi legantur. ibidem
Quãuis intelligẽs natura eis nõ conueniat, quæ materiæ participia ſunt, nihil tamen prohibet quin ſit cum eis. 54
Quibus olim dabatur ad interiora templi

aditus. 108
Quid p altaris cornua Dauid ĩtellexerit. 110
Quid ſit propriè reſurrectio. 120
Quid per ſcenopegiorum feſtũ denotari nobis voluerit Deus. 107
Qui idem dicit eſſe in quolibet, nihil ſibi aliud vult, quàm in vnũ eſſe omnia. 88
Qui fit omnia, fit etiam in omnibus. 82
Quid eſt debitorẽ tradi tortoribus in Euã-gelio. 81
Quid propriè eſt dilectio. 74
Quicq̃d malũ aſpicit, illud ad ſe attrahit. 71
Quid verè Abrahæ ſinus deſignet. 65
Qui bonũ cogitatione & intelligentia conſiderant, illud in futurum ſæculum reſeruant. 65
Quibus nõ exercitata ratio quod ſenſui iucundum videtur, bonũ eſſe iudicant. 64
Quibus ab initio inſerta fuit anima elemẽtis, in eiſdem eam permanere poſt diſſolutionem credit Gregorius. 57 & 52
Quid per hiatum quo ſe diſiungi à diuite Abraham dicit, ſignificetur. 62
Quid per terreſtrium intelligat Apoſtolus, quando dicit, vt omne genu flectatur cœleſtium, terreſtrium, &c. 53
Quicquid ex elementis eſt, in ſuperna terræ parte eſſe neceſſe eſt. 51

Quid in hominis animo fiat,ſi habenas diuiſerit. 45
Quibus viris olim affectiones contulerunt, ex ſacra ſcriptura. 40
Quid verè in natura eſſe dicatur. 38
Quid ſinguli ſenſus hominis malè habentis deſignent. 15.& 16
Quid vitã humanã eſſe putabat Epicurus. 8
Quod formæ expers eſt,abſcõditum vocat Gregorius, ſoláque intelligentia percipi poſſe credit. 14
Quod factum eſt per ſimilitudinem, per omnia cum exemplari ſimilitudinem habere debet. 26
Quod intelligẽtia percipitur neque interuallo diſiungitur,illud contrahi diffundíque impoſsibile eſt. 30
Quod aſpicitur,opus non habet vt memoriæ mandetur. 73
Quomodo debeat illud intelligi,Deus erit omnia in omnibus. 82
Quomodo animæ fieri poterit iucundus & facilis acceſſus ad eum qui attrahit. 77
Quomodo intelligi debeat ſinus Abrahæ, digitus & lingua epulonis diuitis,& gutta illa aquæ quam ſibi dari exoptat. 65
Quomodo ſolis lunæque magnitudinem, motus,curſúſque dignoſcimus. 17
Digitized by Google

Quomodo homo efficiatur tanquã iumentum. 46
Quomodo ſuis affectionibus abutatur homo, malúmque ex his proferat fructũ. 46
Quur varias opiniones in animis hominũ excitauerit animæ immortalitas. 5
Quur religio Chriſtiana tot ſectis hodie exagitetur. In præfat.
Quur curioſam vocet Greg. dialecticã. 35
Quur Paterfamilias in Euãgelio prohibet ne zizanium euellatur in agro. 46
Quur homo ſit Deo proprius & conueniens. 77

R.

Ratio abducatur quò fert rationis expers motus. 45
Ratio noſtræ naturæ res eſt præſtantiſsima. 44
Ratio & cogitandi facultas imitationẽ habet diuini characteris. ibidem
Ratio defectus lunaris luminis ac plenilunij. 18
Rationes eorum qui mortalem ſolubilémque dicunt animam. 7
Rationibus fortiſsimis confutat Greg. eos qui dicunt animam tranſire in alia corpora tam ratione prædita, quàm rationis expertia, & non ſentientia. 89

Digitized by Google

Reſurrectio propriè quid ſit. 120
Reſurrectio probatur elegāti ſimilitudine. 56
Reſurrectionis futuræ definitio. 129
Reſurrectionem fore credere nos oportet, nec eam quidem inanem eſſe. 119
Quid homines aſſequētur ex futura reſurrectione. 130
Qui in perfectam ſpicam euaſuri ſint in futura reſurrectione. 131
In quo diſcrepent Gentiles Philoſophi & Chriſtiani ſuper reſurrectionis animæ ratione. 86
Res creata ex intelligētibus diſcrepare nō videtur à natura incorporea. 100

S.

SAcerdotibus ſolis licebat eſſe intra velū cauſa ſacrificij. 108
Sapientia quomodo intelligi cognoſcíque poteſt. 14
Sapientia ſupereminet vniuerſitatem. ibid.
Scopus Dei qui ſit. 123
Secundùm hominis naturam fructus quoque expectandus eſt. 95
Bonum animæ ſemen germinatione quæ pręter naturam fit, ſuffocatur. 131
Senſilia terreni quidam parietes ſunt, quòd nos impediant quo minùs cœleſtia con-

Google

templemur. 9
Si non ſit ortus, neceſſariò nec erit quidem quod intereat. 104
Si compoſitio non præcedat, nec ſequetur quidem diſſolutio. 105
Simile non ſeruatur in differentibus 35
Similitudine valde notāda, ſoluto corpore animę probatur immortalitas. 28. & 29
Sola tandem permanſura eſt quæ ex fide ſit operatio, quod ei ſuccedat non inueniens. 76
Soluto eo quod cōpoſitum eſt, non par eſt ſolui id quod minimè cōpoſitum eſt. 29
Solutæ animæ vitium eidem acres & intolerabiles affert dolores. 79
Sororis Gregorij Nyſs. infirma valetudo ex morte fratris Baſilij. 1
Spes operatur ad id ſolùm quod non adeſt. 73
Spiritus vis omnia in omnib⁹ operatur. 107
Spiritus ſanctus excitabit & viuificabit quicquid iacebit. 111
Studium omne, artſque omnis, vt agricultura, medicina, & cæteræ artes eò tendūt ſpe ctántque, vt permaneamus in vita. 3
Supernæ vitæ natura dilectio eſt. 76
Stātē & indiſſolubilē tandem vitā fore. 105
Supplicium minus infertur, cui minùs ad-

mixtum eſt fœni materialis. 80

T.

TEmplum Iudæorũ imago & ſimilitudo erat ſtatus qui percipitur ĩtelligẽtia. 109
Tranſitus in corruptionibus rerum ſemper fit ad id quod magis cognatum eſt. 7
Tres naturæ rationis participis ſtatus. 57

V.

VAcuum ex abuſione à nobis dici. 21
Varium & multiplex ſolùm conſiderari poteſt in compoſitione. 7
Variæ opiniones Philoſophorũ ſuper animæ ratione. 85 & 86
Verum bonum inſolens ſatietas nunquam attingit. 76
A velo templi ſacri interno nos vitium arcuit. 110
Veri incertitudo facit, vt in varias partes trahantur hominum opiniones. 5
Virtus caret domino. 81
Virtus rerum omnium pulcherrima quæ in humana eſt vita. 6
Vis cogitandi & ratio impermixta eſt & propria. 43
Vis cogitandi & ratio per ſe debet conſiderari. ibidem
Vis diſcernendi & contemplandi propria animæ eſt quæ eſt Dei ſimilis. 70

Vitæ omnis cura propter mortis metũ. 3
Vita diuina perpetuò per dilectionem operitur. 76
Vita diuina à natura habet quod bonũ diligat. ibidem
Vita cœleſtis non permaneret in beatitudine, ſi eos qui illic viuũt, vitiũ attingeret. 91
Vita materialis vitij purgatio eſſe nequit. 92.
Vitæ noſtræ principium dare vniuerſitatis adminiſtratricem Dei ſapientiam. 97
In vita prima nulla erat corporis afflictio. 121
Vitalis facultatis progreſſus in homine. 42
Vitium eſſe non dicitur. 83
Vitium in eo quod non eſt ſuam habet eſſentiam. 74
Vitium in vitam noſtram principatum obtinere non poteſt, cùm vita noſtra diuinitùs regatur. 96
In vitio non eſt honor, gloria, aut incorruptio. 132
Vitium conſtitutionis initium eſſe non poteſt. 94
Vitium extra liberum arbitrium naturam non habet. 80
Vitij generatio nihil aliud eſt quàm eius quod eſt priuatio. 74
Viuentia corpora nihil commune habent,

Digitized by Google

quod attinet ad eſſentiæ rationem, cum ſimplicitate animæ experte formæ. 28
Vnum & eundem elementorum ambitum in vniuerſa terra eſſe. 51
Vniuerſitas ipſa in ſe manens & circa ſe mota, in nullum alium locum transfertur præter eum in quo eſt. 12
Voluptas in quibus habeat principatũ. 40
Voluptate ad Deum erigimur, veluti quadam catena ad eum tracti. 70
Vniformem ab initio, id eſt, nulli malo cõmiſtam fuiſſe hominum vitam. 63
Vſum bonorum præſentium ſpe futurorũ commutari. 65
Vt intelligens & incorporeus Deus, ita oportet intelligẽtem & incorpoream eſſe animam. 26

Z.

ZIzanium ne euellatur prohibet in Euangelio Pater familiâs. 46
Zizaniorum parabolæ explicatio. 48

FINIS.

Z-554-1

5438

Digitized by Google